





Compl. Sept. 24



1871

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

Herausgegeben

von

Clemens Blume und **Guido M. Dreves.**

XXXII.

PIA DICTAMINA,

Reimgebete und Leselieder

des

Mittelalters.

Fünfte Folge.




Leipzig.

O. R. Re i s l a n d.

1899.

PIA DICTAMINA.



Reimgebete und Leselieder

des

Mittelalters.

Fünfte Folge.

Aus

Handschriften und Wiegendrucke

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves

S. J.



Leipzig.

O. R. Re i s l a n d.

1899.



JUN - 8 1938

10812

VORWORT.

In den einleitenden Worten zum XXXI. Bande dieser Sammlung ist bereits bemerkt, in welcher Reihenfolge und Anordnung die noch erübrigenden „Reimgebete und Leselieder“ zur Veröffentlichung gelangen würden. Demgemäß begreift der vorliegende Band die Marien-Lieder allgemeinen Inhaltes, die sich nicht ausdrücklich auf irgend ein Marienfest des Kirchenjahres oder irgend ein Geheimnis im Leben der Gottesmutter beziehen. Dieselben sind mangels eines anderen durchgreifenden Gesichtspunktes alphabetisch nach den Anfängen geordnet.

Einer wie großen Lebens-Fähig- und Zähigkeit sich das Prinzip der mittelalterlichen Reimdichtung erfreute, erhellt u. a. aus dem Umstande, dass sich dasselbe aller Ungunst der Zeit und aller Unduldsamkeit der Erbpächter eines geläuterten Geschmacks zum Trotz bis in und über die Zeiten des s. g. Humanismus erhalten hat. Andere Beispiele hiefür sind anderen Ortes beigebracht worden. Möge es gestattet sein, hier eine weitere Reliquie dieser Art einzufügen, der wir im Rahmen der *Analecta* einen Platz nicht anzuweisen vermöchten. Der bereits zu den *libri rarissimi* zählende Parnassus Marianus von A. de Balinghem, Duaci 1624, bietet S. 190 ff. das folgende Reimgebet auf Mariä Mitleiden. Balinghem bemerkt zu demselben: „*Hymnus sanctissimi Patris Iosephi Anchietae, Societatis Iesu, ad beatissimam virginem Mariam de vulneribus Christi . . . Descriptus est ex auctoris autographo, quo gaudent Patres Societatis Iesu Montibus, quod tanti viri totque a Deo miraculis decorati monumentum ad instar reliquiarum asservant et venerantur.*“ Welchen Glauben diese Angabe verdient, bleibe ununtersucht. Das Gedicht lautet:

1. Ave, matris cor benignae,
Quod crudeles pungunt spinae
Nati fixae capiti,
Illi caput perforarunt,
Tibi pectus lacerarunt
Mundi culpa perdit.
Fige meum, ne vegetur,
Intellectum, sed rimetur
Plagas tuas dulciter,
Tu cum Iesu, Iesus tecum,
Maneatis semper mecum
Amplectendo fortiter.
2. Ave, matris cor lugentis,
Quod diris clavus tormentis
Dextrae manus afficit;
Felix clavus, qui divinum
Natum simul et benignum
Matris pectus conficit.
Pia mater redemptoris,
Tui leniter amoris
Mihi manum adhibe,
Tange lepram, et mundabor,
Tange vulnus, et sanabor,
Et peccantem cohibe.
3. Ave, pectus matris almae,
Cui sinistrae vulnus palmae
Dirum vulnus imprimit;
Iste clavus tibi impressus,
Quo perimitur Iesus,
Culpaem mortem perimit.
Tuo, genetrix, dolore
Salutarique timore
Carnes meas saucia,
Ut peccata caveantur,
Dum tremenda formidantur
Domini iudicia.
4. Ave, matris cor sacratum,
Quod contemplor cruentatum
Dextri pedis cuspidem,
Ad te currit cor amantis
Animusque singultantis
Te suspirat avide.
O si tuae castitatis
Suavis odor hamatis
Me sagittis feriat,
Ut extincto carnis bello
Tua pietas in caelo
Me victorem capiat.
5. Ave, matris cor adfictum,
Quod cum nato gravem ictum
Laevi pedis pateris,
Nullam culpam cum patraris,
Omni poena cruciaris,
Omni plaga laederis.
Ne me culpae maculatum,
Me sceleribus foedatum
Poenis dede meritis,
Ut cum miti humilitate
Humilique paupertate
Tuis addar subditis.
6. Ave, matris cor honestae,
Cuius Simeone teste
Easis fidit intima,
Dum defuncti latus nati
Rupit militis armati
Hasta crudelissima;
In te spinae coniurarunt,
Clavi, crux et quae foedarunt
Flagra dura filium,
Ut cum nato morienti
Maternae supersit menti
Nullum refrigerium.

Zu beachten ist neben dem Reime 1, 1 u. f. und 2, 4 u. f. die Elision 3, 4 und 5, 10 sowie der Umstand, daß sämtliche männlichen (jambischen) Reime sich auf zwei Silben erstrecken.

Wien, den 24. November 1898.

Guido Maria Dreves.

DE BEATA MARIA VIRGINE

PIA DICTAMINA.

BQ
5253
.A5
v.32

1. De beata Maria V.

1. Ad aeterni numinis
cumulum honoris
Dicturus praeconia
nostri salvatoris
Insigniri gratia
tam sensus quam oris
Obsecro, nam linguae sum
impeditoris.
2. Hoc enim miserrimo
mihî peccatori
Dixisse plus congruit
quam legislatori,
Cuius sapientiam
effluentem ori
Placuit infundere
summo creatori.
3. Ego vero sordida
plenus actione,
Degens in superbia
et abusione,
Omnibus dissimilem
comparatione
Praesumam attollere
qua praesumptione?
4. Cuius ad imperium
mundi salutare,
Christus Iesus, subdidit
caelum, terram, mare,
Quomodo vel qualiter
audebo laudare,
Quam nec saltem dignus sum
ore nominare?
5. Ad haec tamen sentiam
me licet immundum,
Christum Iesum deprecor,
qui redemit mundum,
Ut meum eloquium
sit ei iucundum,
Qui potens est facere
de immundo mundum.
6. Ne, quoniam laudibus
intento Mariae,
Quae gigantem genuit
geminæ usiae,
Eo, quod indignus sim,
vel nocte vel die
Accidat, quod accidit
olim Adoniæ.
7. Mariam dilucide
satis exprimebat
Illa scala, dormiens
quam Iacob videbat,
Cui innixus Dominus
Deus apparebat,
Et quae caelum pariter
et terram tangebatur.
8. Haec est enim pervia
scala peccatorum,
Qua libet ascendere
cacumen caelorum,
Huic ipse Dominus
innixus suorum
Vota pie suscipit
et preces servorum.
9. Haec ut Saba sapiens
regina Sybilla,
Sed multum humilior
utique quam illa,
Gabrieli nuntio
respondit tranquilla:
Ecce, inquit, cuius es
angelus, ancilla.
10. O felix humilitas!
ecce, mater Dei
Ancillam se nominat,
cum constaret ei,
Quod totius pareret
conditorem rei,
Qui disponit tempora
cursusque diei.

11. Videtur Abigail
istam designare,
Quae, cum David placuit
ipsam desponsare,
Volens coram nuntiis
se humiliare,
Pedes eius obtulit
se ipsam lavare.
12. Figuram huiusmodi
Rebecca praetendit,
Quae narrante puero
dum sibi attendit,
Quod per agrum obviam
Isaac ascendit,
De camelo protinus
ad terram descendit.
13. Lia ventris admodum
fructu gratiosa,
At Rachele facie
minus speciosa,
Designari poterit,
ut exponit glosa,
Haec inter Ierusalem
filias formosa.
14. Hesther, per quam reddita
salus est Iudaeo,
Et crux, quam paraverat
Amam Mardochoaeo,
Facta figuraliter
designat ex eo
Gratam singulariter
hanc reginam Deo.
15. Iterum si conspicias
oculis internis,
Spiritus a litera
si bene discernis,
En, Iudith alterius
hostis Holofernis,
Eius, inquam, cuius est
locus in infernis.
16. Arcam iussu Domini
Noe construebat,
Quae salvavit intra se,
quidquid continebat,
Homines et pecora,
quae secum tollebat,
Cum aqua diluvii
cuncta consumebat.
17. Si scripturae iunxeris
sensum et sophiam,
Per arcam intelleges
virginem Mariam,
Quae suo continuit
in alvo Messiam,
Ad vitae quo rediit
omnis caro viam.
18. Per columbam etiam
in ore gestantem
Olivam, clementiae
signum, designantem
Gabrielem virgini
fata nuntiantem,
Quod misericordiae
portaret infantem.
19. Abnegat incredulus
haec dicta Iudaeus
Et infelicissimus
ille Manichaeus,
Quos ita corripit
sequens sermo meus,
Quod adiudicabitur
hic et ille reus.
20. Tibi loquar igitur,
perfide Iudaeae,
Ausculta similiter
et tu, Manichaeae,
Dum transiret Dominus
mare Galilaeae,
Dixit: „me sequimini“
Petro et Andreae.
21. Ita me sequimini
non gressum movendo
Nec utcumque gressibus
pedum incedendo,
Sed ipsum iustitiae
solem intuendo,
Quem vos pertinaciter
negare perpendo.

22. Vos, inquam, conveniam,
non dico factores,
Sed tantum Mosaicae
legis auditores,
Qui sunt, quos in invicem
confertis, errores
Adversus catholicae
fidei cultores?
23. Nonne scriptum legitis:
in ore duorum
Stabit testimonium?
sed quid, si multorum
Utar testimoniis
ad robur dictorum,
Credetisne testibus
vel dictis eorum?
24. Isaias siquidem
propheta testatur,
Ieremias asserit
hoc et praelibatur,
Per quos et per alios
patenter probatur,
Quod Iesus ex virgine
Maria nascatur.
25. Labiis quodammodo
vir incircumcisis,
Sed hinc a catholica
fide non divisus,
Quaero, quid significet
Danieli visus
Lapis, sine manibus
de monte praecisus.
26. Quid designet etiam,
quod rubus ardebat
Et rubum nullatenus
ignis comburebat;
Haec utraque visio
videntes latebat
Et profecto virginis
partum exprimebat.
27. David, cum senuerat,
Abisag fovebat
Et regem, ut legimus,
calefaciebat,
- Sed nec rex carnaliter
eam cognoscebat,
Nec a rege maculam
ipsa contrahebat.
28. Sic, sic Dei genetrix
et incorporavit
Deum et virgineum
florem conservavit,
Quod Iudaeus audiens
hucusque negavit
Et sicut, quae periit,
ovis sic erravit.
29. Dic, quicumque crederis
esse vel fuisse
Discussor et arbiter
virtutis praemissae,
Quid est mirabilius
partum concessisse
Virgini, an hominem
de terra fecisse?
30. Si esse contenderis
contra carnis iura,
Quod virgo conciperet
sine genitura,
Dic, si nosti, cuius est
haec ipsa natura,
Qua traxit originem
omnis creatura?
31. Moyses dominicum
mandatum complebat
Et de cunctis tribubus
virgas adferebat,
Inter quas, quae fuerat
Aaron, frondebat
Et post diem alterum
nuces producebat.
32. Delectat mysterium
hoc magnum videre
Et contra Iudaicam
haeresim miscere,
Quae Deum in virgine
denegat complere,
Quod liquet ad oculum
in virga patere.

33. Qui dedit, ut arida
virga pullularet,
Fecit, ut et filium
virgo procrearet,
Qui mortalis propter nos
si non expiaret,
Nunquam nos a debita
morte liberaret.
34. Numquid non de virgine
potuit creare
Deus, quem de pulvere
noluit formare?
Si velle prospicitur,
de posse tractare
Non decet, nam potens est
cuncta renovare.
35. Cesset incredulitas
cuiusve Iudaei
Proinde potentiam
blasphemare Dei,
Cesset, inquam, supplici
voce clamans ei:
Iesu, fili virginis,
miserere mei.
36. Rex Aegypti Pharaon
vidit una vice,
Refert ut historia,
quodque septem spicae
Pullulabant pariter
ex una radice,
Quod exponi poterit
de illa felice.
37. Per formosas etenim
spicas, ut expressit
Ioseph regis somnium,
secura repressit
Famem abundantia,
quam large concessit,
Ex hac sacra virgine
fructus qui processit.
38. Supra tempus capitis
Sisarae ponebat
Iahel clavum ferreum
et clavo transfigebat,
- Quod effectualiter
Maria complebat,
Cum serpentis veteris
caput conterebat.
39. Haec [virgo] est mulier,
quae circumdat virum
Commedentem pariter
et mel et butyrum,
Hoc dixisse dicimus
non esse delirum,
Quod dixit veridicus
propheta, nec mirum.
40. Sarcptana vidua
Maria signatur,
Cui lechythus olei
non minuebatur,
Et farinae hydria
magis augebatur,
Ut Helias Domini
servus loquebatur.
41. Hanc vocare poteris
etiam, si velis,
Per Annam, quae fuerat
mater Samuelis,
Quem sub Heli voverat,
ut voto fidelis
Servituum obtulit
Domino de caelis.
42. Haec est nominaliter
dicta maris stella,
Qua sedatur saepius
marina procella,
Haec pudoris thalamus,
haec unguenti cella,
Haec, quae sola dicitur
mater et puella.
43. Haec columna populum
Israel deducens,
Quo tendebat, lucide
de nocte reducens,
Haec ad vitae ianuam
semita perducens,
Haec, per quam seducitur
Satan nos seducens.

44. Haec est arca continens
 manna delicatum,
Haec sancti sacrarium
 spiritus sacratum,
Haec funda proiciens
 petram, qua prostratum
Ab inermi legimus
 Goliath armatum.
45. Haec est virga florida
 Iesse, patris David,
Stella Iacob, Balaam
 de qua prophetavit,
Haec, auditum filii
 cuius auscultavit,
Inter animalia
 Habacuc et pavit.
46. Haec, clausam Ezechiel
 quam consideravit
Porta, vir nec exiit
 per quam nec intravit,
Haec cisterna Bethlehem,
 cuius asservavit
Aquam David, Domino
 Deo quam libavit.
47. Hanc, ut brevis persequar
 seriem sermonis,
Mystice significant
 vellus Gedeonis,
Moysi vas scirpeum,
 thronus Salomonis,
Aureum candelabrum
 et mons visionis.
48. Mulier, sub pedibus
 quae lunam tenebat
Et veste circumdata
 solis apparebat,
Mariam aptissime
 signans innuebat,
Quae verum iustitiae
 solem pariebat.
49. Conquievit populi
 murmur mox aperto,
Quod aqua de silice
 fluxit in deserto,
- Virga, qua percutitur
 in saxo reperto,
Virginis est filius,
 ut placet deserto.
50. Illa Ierosolymis
 salutis piscina,
In quam descendantibus
 datur medicina,
Intellegi poterit
 haec mundi regina,
(Quae medetur languidis
 virtute divina.
51. His et huiuscemodi
 rebus designata,
Iam supra caeligenas
 omnes exaltata,
Condescende miseris,
 o virgo beata,
Quia nostra diceris
 et es adovocata.
52. Regina, quae praesides
 et primatum tenes
Super omnes virgines,
 iuvenes et senes,
Reos reconcilia
 servos eum penes,
Qui corda diiudicat
 et scrutatur renes.
53. Te commendat gloria
 matrem virginalis
Nec deflorat virgineum
 partus filialis,
De te prodit filius
 patri coaequalis
Et ei per omnia
 consubstantialis.
54. Maria, dulcissima
 mater salvatoris,
Quae sanctorum omnium
 es praelata choris,
Recordare, quaesumus,
 tui quod honoris
Summa sit occasio
 culpa peccatoris.

55. Signanter necessitas
quaenam videretur,
Verbum carnem fieri
per quam pateretur,
Si delictum hominis,
quod redimeretur
Sua morte, penitus
non inveniretur?
56. Constat ergo, domina
mundi praelecta,
Quod pro peccatoribus
mater sis effecta,
Quos eidem, cuius sunt
opera perfecta,
Complacere facias
a Deo dilecta.
57. Nos quidem, nos fragiles
et ad malum proni,
Privamur hic, proh dolor,
omnis fructu boni,
Sed tuae committimus
miserationi
Nos et nostra subdimus
tuae ditioni.
58. Ne frustremur igitur
spe, quam reportamus
De te, cuius totiens
nomen invocamus,
Quae si non subveneris
nobis, ignoramus,
Quid in his miseriis
ultra faciamus.
59. Admitte, piissima
mater, hoc dictamen
Et sic te petentibus
impende iuvamen,
Ut cum factum fuerit
ultimum examen,
Vivamus in saecula
saeculorum. Amen.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. ^{14/15}. — 1, 4 nostre. — 3, 4 et in
abusione. — 6, 3 Qui. — 9, 1 Ut Salu sapiens. — 13, 3 Et Rachele. —
14, 2 salus est in Deo. — 14, 7 Etiam singulariter. — 18, 6 vata oder nata
nuntiantem. — 21, 3 utrumque. — 22, 5 in fehlt; cfr. Luc. 24, 17. — 24, 4 et
fehlt. — 31, 1 sq. mandatum dominicum. — 33, 5 mortales. — 41, 1 Huic. —
41, 3 Peraman quae. — 46, 2 conseravit. — 46, 6 assertavit. — 51, 7 disceris.

2. Ad beatam Mariam V.

1. Assis nobis, virgo pia,
Quae vocata es Maria,
Stella maris rutilans,
Tu pro nobis semper ora
Ad filium sine mora
Veniamque postulans.
2. Ut adiuti gloriemur,
Absoluti liberemur
A peccatis omnibus,
Ne Satan cum suis turmis
Nos congreget in extremis
Poenis infernalibus.
3. Ne damnemur cum impiis,
Sed precibus tuis [piis]
Valeamus scandere,
Ubi manes cum filio,
Cum patre, cum paraclito
Sacrosancto foedere.
4. Tibi, Christe, sit gloria
Cum matre tua Maria
Hic et in caelestibus;
Hymnus iste sit devotus
Tibi semper atque gratus
In Mariae laudibus.

Orat. ms. Combergense saec. 15. Cod. Stuttgartien. 1b. 87. — 1, 5 filium
tuum sine. — 3, 6 Sacrato.

3. Ad beatam Mariam V.

- | | |
|--|--|
| 1 a. Angelorum supernorum
Imperatrix atque datrix
Salvatoris, creatoris
Continentis omnia. | 1 b. Protulisti, quae vicisti,
Mundi florem atque rorem,
Mater alma, dicta palma
Iuste super omnia. |
| 2 a. Balsamata ut es nata,
Virgo grata, es vocata
In honorem atque morem,
Noemi pulcherrima. | 2 b. Nec non Sara es praeclara,
Virgo praegnans, quae es
regnans
Mundum istum, gignens Chri-
stum
Tu eris, sacerrima. |
| 3 a. Collaudaris per scripturam,
Visitaris per picturam,
Honoraris per sculpturam,
Virgo felicissima, | 3 b. Nec formido deformavit
Nec caligo diffamavit
[Nec rubigo] te [foedavit],
Regina mitissima. |
| 4 a. Dona bona nobis dare
Tu digneris, virgo, veris
Flos, amare nos te dona,
Quod mala vitemus. | 4 b. En, felicem genetricem,
In qua ista infinita,
Quae quaesita in hac vita
Vere iuventutis
Anno prosunt senectutis. |
| 5 a. Forma plena et serena,
Longa virtus, pia myrtus,
Humilitate brevis,
Concepisti, mater Christi,
Christum, qui non levis, | 5 b. Immo gravis in moribus,
Ob quod in campi floribus
Merito laudaris,
Immo stella maris
Iuste nuncuparis. |

6. Gloriosum ad nos vultum
Converte speciosum
Splendentem[que] multum,
Nos tu fove nosque move
De lacu miseriae.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19353. — 4 a, 2 feris.

4. Oratio de Beata Virgine.

- | | |
|--|--|
| 1. Ante thorum tam decorum
Virginis puerperae,
Lingua, prodas novum odas
Mariae christiferae. | 3. Virgo prolem, stella solem
Mundo novum edidit,
Dum fideli Gabrieli
Nuntianti credidit. |
| 2. Patrem nata illibata
Ipsa quippe genuit,
More miro sine viro
Mater esse meruit. | 4. Res divina, una trina,
Utero concluditur,
Virginali forma tali
Deus homo gignitur. |

- | | |
|--|---|
| <p>5. Quod auscultans vox exsultans
Deum laudat dulcius,
Pax in terra pulsa guerra,
Caeli canit nuntius.</p> | <p>14. O Maria, mater pia,
Trinitatis cellula,
Quae tam magnum lactas agnum
Dei, virgo parvula.</p> |
| <p>6. Pastor certus hoc expertus
Cernit in praesaepio
Christum natum, nobis datum
Nuntiat cum gaudio.</p> | <p>15. O flos florum, norma morum,
Castitatis lilium,
Mel dulcoris, vas honoris,
Dei ferens filium.</p> |
| <p>7. Natum regem praeter legem
Laudat bos et asinus,
Se prosternunt, quia cernunt
Christum esse cominus.</p> | <p>16. Tu lux lucens, nos educens
De gehennae latebris,
Fulgens stella, lux novella,
Viam dans de tenebris.</p> |
| <p>8. Stella fulget, ut divulget
Hoc orbi mysterium,
Stans innixa ut adfixa
Iuxta puerperium.</p> | <p>17. Tu fons vivus, a quo rivus
Manat indeficiens,
Hunc qui potat, non aegrotat
Nec est ultra sitiens.</p> |
| <p>9. Reges credunt et accedunt
Ante thronum virginis,
Dona ferunt, Christum quae-
runt
Ducti signo luminis.</p> | <p>18. Madens humus, ardens dumus
Te figurant virginem,
Sane puram parituram
Deitatis hominem.</p> |
| <p>10. O miranda et laudanda
Ista generatio,
Quae perplexo et inflexo
Fulget hoc mysterio.</p> | <p>19. Te signavit cantus David,
Tui ventris fructui
Ponens sedem, ut heredem
Nostro daret cultui.</p> |
| <p>11. O stupenda, reverenda
Verbi incarnatio,
Per quam vita morte trita
Datur et salvatio.</p> | <p>20. Isaiae prophetiae
Intellectum aperis,
Quando paris expers maris
Deum nostri generis.</p> |
| <p>12. O quam mirum extra girum
Orbis tabernaculum,
In quo Dei virtus ei
Fecit habitaculum.</p> | <p>21. Evae luctum tu destructum
Prodis almo germine
Et productum vitae fructum
Sine viri semine.</p> |
| <p>13. O quam rarum et praeclarum
Amoris conubium,
Ubi pura contra iura
Virgo parit filium.</p> | <p>22. Fers ad templum in exemplum
Viam vitae indicans
Natum regem, implens legem,
Partu te purificans.</p> |

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. 4° 29. — 1, 3 Lies: Novas odas oder novem odas? Neun Oden zählen nach der Zahl der biblischen Cantica die Kanones der griechischen Hymnoden. — 11, 1 veneranda.

5. De beata Maria V.

1. Ara Dei, porta spei,
Virgo mater unica,
Per te rei cordis mei
Candidetur tunica.
2. Ve cunctarum feminarum
Tollens tua gloria
Offensarum contractarum
Purget me de scoria.
3. Mater, audi, sed exaudi,
Sit vox licet quaerula,
Os nam claudi tuae laudi
Mors est, vitae ferula.
4. Riga reum, placa Deum,
Iuva, plena gratia,
Da tropaeum et cor meum,
Te quod famet, satia.
5. Alma Iesse virga, fessae
Mentis ingens pausula,
Tutrix esse velis pressae
Carni mortis clausula.
6. Grata morum forma, thorum
Servans absque macula,
Vitiorum tu meorum,
Virgo, stingue iacula.
7. Cinis ego quamdiu dego
Vitae sub hac formula,
Quidquid rego, tibi lego,
Corrigas anormula.
8. Ave, mitis, a vae litis
Inferni me libera,
Ut cum tritis caelo sitis
Vita fruar libera.
9. Plebis numen, vitae flumen,
Cellula nectarea,
Praebe lumen, fer acumen,
Caeli duc in area.
10. Nati nata, quae beata
Mater es et filia,
Nos post fata duc ad grata
Paradisi gaudia.
11. Dolor urget me, nam turget
Mens et ab amentia
Non resurget, nisi purget
Hanc tua clementia.
12. Mira parens, labe carens,
Cui nulla praevia,
Fac, ne parens sit mens arens
Ad quaeque daemonia.
13. Nusquam tutum est hoc lutum
Carnis infra limina,
Ni per scutum tu virtutum
Longe pellas crimina.
14. Te nutricem, te victricem
Summa super aethera,
Iuxta vicem tam felicem
Laudo super cetera.
15. Cum pro vero mane, sero
Sim expertus talia,
Neque spero, sed nec quaero,
Quod sit talis alia.
16. Benignarum feminarum
Rosa, vernans primula,
Animarum spes lapsarum,
Deitatis rimula.
17. Nevum mentis te colentis
Dele, fer piacula,
Taetrae gentis et furentis
Ne adurat facula.
18. Dictu miro paris viro
Sine, muliercula,
Angui diro mundi gyro
Pulso per haec fercula.
19. Tam sincere te decere
Fidei conubia
Scimus vere, nec latere
Quit res nulli dubia.
20. Tuus fructus nostri luctus
Exsiccavit semina,
Mundi fluctus, carnis ructus
Seda, felix femina.

21. **In** te cursum tendi sursum
Da per tot naufragia,
Stringensursum, nenosrursum
Trahat ad contagia.
22. **Murus**, porta, byssus, sporta,
Virga nitens aurea,
Me supporta, spe conforta,
Dita caeli area.
23. **Livor** fellis multis bellis
Turbat cordis atria,
In procellis sub flagellis
Gemit carnis patria.
24. **Eia**, veni tu et leni
Cordis tot contraria,
Aut in caeni tam obsceni
Submergor angaria.
25. **Risu** fletum, plausu metum
Muta sedans bellica,
Cor quietum sit et laetum,
Longe sint procellica.
26. **Busti** die tu, Messiae
Mater, dele vitia
Et post viae cursum pie
Nobis sis propitia.
27. **Et** cum dirae dies irae
Fiet nimis horrida,
Non perire, sed exire
Fac de zona torrida.
28. **Belluina** carnis vina,
Mentis quae sunt toxica,
Tu, divina medicina,
Misce, ne sint noxia.
29. **Ne** tantorum me malorum
Obruant pericula,
Commissorum tu meorum
Dissolve reticula.
30. **Dic**, Maria, virgo pia,
Unde mihi venia,
Nisi dia in sophia
Spei des encaenia?
31. **Tu** sublimis hera nimis,
Duc nos locis, domina,
Ab his imis in opimis
Dubia post omina.
32. **Fructu** feta, quo deleta
Constat offendicula,
Auge laeta, da quieta
Temporum curricula.
33. **Tu** sodalis curialis,
Conductrix egregia,
Nos a malis tuis alis
Tege, virgo regia.
34. **Ventus** urat, hostis furat
Stringat vel inopia,
Mens non curat, quam securat
Tua dulcis copia.
35. **Tristis** quivis mundi civis
Culpa de praeterita
Potest, si vis, iungi vivis
Tua per praemerita.
36. **Tu**, quae menti paenitenti
Sola fers colliria,
Asta flenti vel gementi,
Respice suspiria.
37. **Iram** nati, tam irati
Mollias, christifera,
Ne peccati perpetrati
Poena sit mortifera.
38. **Amen**, Amen, per affamen
Hoc et per similia
Praestet flamen sanctum, tamen
Si accedant milia.

Cod. Parisin. 11343. saec. 15. A. — Nach dem Vorsetzblatte einer Breslauer Inkunabel bei Friedr. Haase, *Miscellaneorum philologicorum* lib. V, cap. 4. (Breslau 1863). B. — 3, 2 claudi me vel audi A. — 3, 4 est ante saecula A. — 5, 4 Carnis A. — 9, 4 in patria A. — 11, 2 a dementia B. — 12, 4 Ad quaecunque devia. B. — 13, 2 Inter carnis B. — 14, 1 te iutricem B. — 15, 3 nec gero B. — 17, 1 te tollentis B. — 17, 4 aduret B. — 18, 1 miro sine viro B. — 18, 2 Paris muliercula B. — 19, 4 Quod res A; Quid res B. — 20, 4 Ceda B. — 21, 2 suffragia B. — 21, 3 ne vi rursum B. — 22, 1 Murtis porta B. — 22, 2 Cellula nectarea B. — 22, 4 caeli gaudia A; Caeli duc in area B. — 24, 4 Submergar B. — 26, 2 delens B. — 29, 1 Delictorum tu B. — Str. 31 und 33 vertauscht B. — 31, 2 lucis domina B. — 35, 1 mundi si vis B. — 35, 3 Potest civis B. — 38, 4 accedant B.

6. De beata Maria V.

1. Audi, clemens et benigna.
Te precantum vota digna,
Preces et suspiria,
Ad te, pia, suspiramus,
De profundo clamitamus,
De gravi miseria.
2. Audi, salus nostrae spei,
Mater iudicis et rei,
Fer nobis auxilium,
Culpa gravis nos depressit,
Quae culpa metas excessit,
Exhibe consilium.
3. Audi, mitis, audi, pia,
Tui sumus, o Maria,
Filiis miseriae,
Audi, nostra advocata,
In conspectu Dei grata,
O regina gloriae.
4. Memor esto, quam iucundum,
Quam magnum quamque profundum
Fuit hoc consilium,
Gabriel dum inquit Ave,
Dum per verbum hoc suave
Concepisti filium.
5. Audi nostrum detrimentum,
Posce nobis incrementum
Inclito precamine,
Tutum populum conserva,
Cleri tui cum caterva
Serva sine crimine.
6. Hostes fuga, pelle metum,
Differ iudicis decretum
Mortisque sententiam,
Nobis miseris intende
Et iudicium suspende
Propter paenitentiam.
7. Memor sis, quem genuisti,
Dum ad templum detulisti
Magno cordis iubilo,
Memor esto mortis Christi,
Dum pendentem conspexisti
Crucis in patibulo.
8. Memor esto resurgentis
Et in caelum ascendentis
Multiformis gratiae,
Qui te semper honoravit,
In aevum laetificavit
Sua clara facie.
9. Super gloriam sanctorum,
Super choros angelorum
Te vexit, dignissima;
Statum nos perfectionis
Doce, vas electionis,
Sanctorum sanctissima.
10. Posce nobis fidem rectam
Caritatemque perfectam,
Lumen sapientiae,
Corporis integritatem
Spiritusque puritatem,
Fructum abstinentiae.
11. Virtutum infusione,
Carismatum sanctione
Omne fuga vitium,
Luce contemplationis,
Gustu consolationis
Exhibe solacium.
12. Memor sis universorum,
Vivorum et mortuorum,
Totius ecclesiae,
Posce nobis finem bonum,
Addens singulare donum
Et tuae praesentiae.
13. Audi, clemens, audi, pia,
Audi, dulcis o Maria,
Post praesens exsilium
Offer nobis cum gaudio
In caelesti tripudio
Iesum tuum filium.

7. De beata Maria V.

- Audi, virgo virginum,
Quae lactasti Dominum,
Verum lumen hominum,
Preces supplicantium,
5. Sese accusantium,
Te desiderantium,
Ad te suspirantium,
Per te dimicantium,
Pro te gratulantium,
10. De te praesumentium,
In te confidentium,
Lacrimas fundentium,
Misere gementium,
Amare dolentium,
15. Vere paenitentium.

Cod. Trecent. (ol. Claravallen.) 1612. saec. 15.

8. De beata Maria V.

- | | |
|---|--|
| 1. Aula vernat virginalis,
Cuius pars est integralis
Tectum, pes et paries,
Iungit haec in unum tria
Trinus unus in Maria,
Iuncti pollet series. | 5. In cortina copulatur
Cocco byssus et artatur
Cum iacintho purpura,
Sol stat fixus in hoc caelo,
Sol in stella, stella velo
Vincit maris murmura. |
| 2. Christus petra fundamentum,
Tenax tecti tegumentum
Obumbrator spiritus,
Parietem posse patris
Stipat, ut procellis atris
Obviet oppositus. | 6. Purpuratur, dum sacratur
Virgo, byssus humilis,
In doctrina stat divina,
Iacintho est similis. |
| 3. Parit tectum architectum,
Aula regem, cuius legem
Sua curat curia;
Rubent rosae speciosae
Fundamento, pavimento
Munda candent lilia. | 7. Designatur, quod amatur
Et quod amat firmiter,
Cocco tincto qui iacincto
Conubit perenniter. |
| 4. In se formas angulorum
Fert beryllus et decorum
Parietem circuit,
Cum saphyro stat pyropus,
Virginale signans opus
Caritatem innuit. | 8. Domus aromatica
Nardo, ture, calamo,
Murra, cedro mystica,
Cinnamomo, balsamo, |
| | 9. Funda nos in filio,
In patre suffulcias,
In sancti suffragio
Spiritus operias. |

Cod. Oxonien. Digby. 65. saec. 13. — Diese Hs. enthält die Gedichte Godefridi, prioris ecclesiae S. Swithuni Wintoniensis. Unmittelbar auf dieselben folgt von derselben Hand geschrieben und mit Noten obiges Lied, das höchst wahrscheinlich von demselben Verfasser herrührt. Die Melodie ist trotz der Verschiedenheit des Versmaßes nur eine für alle Strophen.

9. De beata Maria V.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Ave, caeli domina,
Quae transcendis agmina
Caelestis militiae,
Ave, felix femina,
Stola gaudens gemina
Super thronum gloriae.</p> <p>2. Surge, surge, propera,
Oliva fructifera,
Tuum fundens oleum,
Tua semper ubera
Mea sanent vulnera,
O iubar aethereum.</p> <p>3. Tu es virgo sapiens
Et verbo concipiens
Sine viri copula,
Stella solem praeiens,
Lumen indeficiens,
Luna sine macula.</p> | <p>4. Regnans iam in superis
Depelle a miseris
Culpa tu caliginem,
Salus nostri generis,
Culpa nobis veteris
Absterge rubiginem.</p> <p>5. Nunc te rogo virginem,
Per tuam dulcedinem
Respiret ecclesia,
Cuius pulchritudinem
Atque mansuetudinem
Mirantur caelestia.</p> <p>6. Eia, fac me iugiter
Devotum et puriter
Te semper diligere,
Dignae et sollicitum
Nunc semperque debitum
Laudis tibi reddere.</p> |
|--|---|

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15. — 4, 2 Depelle hic a. — 6, 4 Digna. — 6, 6 Laudes.

10. Ad beatam Mariam V.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Ave, caelorum ianua,
Mater Dei et filia,
Salutata ab angelo,
Praelecta a Domino.</p> <p>2. Ego ad te confugio,
Virgo, mea salvatio,
Salutis spes et veniae,
Mater misericordiae.</p> <p>3. Salva ad te fugientem,
Serva me in te sperantem,
Super omnes te exoro,
Super omnes te imploro.</p> <p>4. Tu es vere potentior,
Inter omnes dulcior,
Inter omnes humilior,
Inter omnes sublimior.</p> | <p>5. Nullus nempe confundetur,
Sicut reor, nec perdetur,
Qui se tibi commendabit
Et te prece invocabit.</p> <p>6. O Maria, mater Dei,
Miserere, precor mei
Atque pro me ora Deum,
Ut absolvat tuum reum.</p> <p>7. Ego tibi me commendo,
Me in servum tibi trado,
O domina, me respice
Et clementer suscipe.</p> <p>8. Respice me, o Maria,
Dei mater, virgo dia,
Et visita me miserum,
Oppressum mole scelerum.</p> |
|---|---|

9. Nam si tu me visitabis,
Visitando me purgabis,
Nam tua visitatio
Mea est salvatio.
10. Serva tibi commendatum,
Tibi servire paratum,
Dono tuae pietatis
Me absolvas a peccatis.
11. Tota enim salus mea
In te est, deorum dea,
Cunctorum, ut creditur,
Ex te salus exoritur.
12. Ille potest desperare,
Qui te non vult amare,
Te Mariam adamare,
Hoc est opus salutare.
13. Nomen tuum dulce nimis
Adamandum est imprimis,
Ubi nomen tuum sonat,
Spem salutis mihi donat.
14. Omne a me perpetratum
Tollit mihi hoc peccatum,
Nunquam possum desperare,
Si te volo invocare,
15. Per te, pia, me salvari,
Per te credo reparari,
O Maria veneranda
Super omnesque laudanda.
16. Si me velis adiuvere,
Quis me cogit desperare,
O domina dulcissima,
Prae omnibus carissima?
17. Omnibus tu praeamanda,
Nulla tibi comparanda,
O Maria, Deo cara,
Virgo nitens et praeclara.
18. Sed mente praeclarior
Moribusque nobilior,
Tota super solem munda,
Omni bono tu fecunda.
19. Virgo semper, ante partum
Et in partu et post partum,
Iure cunctis es praelata,
Super omnes exaltata.
20. Semper casta, semper pura,
Semper Deo placitura,
Nunquam levis, nunquam vana,
Ac si esses inhumana,
21. Domina o dominarum
Et regina reginarum,
Propter tuam pietatem,
Tuam quoque bonitatem.
22. Pauper ego et egenus,
Sum obscenis meis plenus,
Natum tuum irritavi,
In quem graviter peccavi.
23. Hunc tu mihi pacifica,
O mater Dei unica,
Hoc te posse impetrare
Nemo debet dubitare.
24. O praeclara stella maris,
Quae cum Deo gloriaris,
Me ad portum fac venire,
Nunquam sinas me perire.
25. O Maria, lumen vitae,
Mihi, quaeso, imperti te,
Servum iustifica tuum
In peccatis mortuum.
26. O Maria, flos virginum,
Ora pro me Dominum,
Ut ad caeli palatia
Perveniam te praeavia.

27. Ubi miser et sordidus
Possim esse et ultimus
Laudansque Deum deorum
Per saecula saeculorum.

Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. — 2, 2 salutatio. — 4, 2 felicit eine Silbe; lies et dulcior? — 7, 4 ebenso; lies Atque clementer? — 9, 4 ebenso; lies salutatio oder gratulatio? — 12, 2 ebenso. — 25, 4 ebenso; lies emortuum? — 27, 2 Lies: vel ultimus?

11. De beata Maria V.

- Ave, Christi mater, ave,
Ave, mundum mundans a vae,
Patris parens et conclave,
Mella caeli stillans fave,
5. Servos fovens servis fave,
Ut in hora sortis pravae
Nobis lapsis hic tam prave
Vindex iure rex ignave
Te rogante ipsa nave
10. Dicat gratia tunc ave,
Verbum bonum et suave.
Ave, Iesu, mater ave.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 10 gratia tua. — Nach Vers 11 Iesu Christi miserere. — 12. Iesu Maria Ave. — Nach Vers 12 Amen, ave, amen, ave.

12. De beata Maria V.

- | | |
|--|--|
| 1. Ave, Dei genetrix
et immaculata,
Virgo, caeli gaudium,
toti mundo nata,
Ad salutem omnibus
in exemplum data,
Dignare me laudare te,
o virgo sacrata. | 4. Maria, cum filius
sit suavitas et vita,
Ad eius delicias,
pia, nos invita,
Sua nobis mansio
per te fiat scita,
In qua ipsa requies
consistat munita. |
| 2. Reple cordis intima
spiritu sacro,
Ut corpus et anima,
lingua cum palato
Laudi sint comparia
dignae tuo nato,
Qui per te conumeret
gregi nos beato. | 5. Omnes morbos animae,
caelica regina,
Sanet, curet, auferat
tua medicina,
Ut quando progredimur
de mundi sentina,
Nos in caelo colloset
dextera divina. |
| 3. Benedictus Dominus
sit, qui te creavit
Et in matris utero
te sanctificavit
Et beata viscera
tua inhabitavit
Atque in caelestibus
te glorificavit. | 6. Cuius celsitudinem
proni supplicamus,
Ut poenas et laqueos
mortis evadamus
Ac tuis obsequiis
sic nos innectamus,
Ut per te caelestia
regna conscendamus. |

7. Virgo, sancta trinitas
fecit mansionem
Tecum, praebens gloriae
praegustationem,
Et virtutum omnium
dat perfectionem,
Matrem Christi faciens
per electionem.
8. Benedicta, benedic
te benedicentes,
Fac in tuis laudibus
sint proficientes,
Affice dulcedine
tua nostras mentes
Ut in tuis laudibus
semper sint ferventes.
9. Honor tibi semper sit
virginum reginae,
Quae in aula caelica
regnas sine fine,
Prece tua subveni
genti peregrinae,
Ne in fine saeculi
pateat ruinae.
10. O flos pudicitiae,
mater pietatis,
Sidus castimoniae,
dos virginitatis,
Plenitudo gratiae
forma aequitatis,
Exordium laetitiae,
hortus voluptatis.
11. Arcanis dominicis
virgo tota plena,
Exstirpatis vitiis
intus nos serena,
Ut nostrorum scelerum
hic indulta poena
Nos caelestis patriae
ducas in amoena.
12. Nato nunc virgineo
cordibus intensis
Assistamus iugiter
et manibus extensis
Resonemus labiis
nostris in condensis
Actionis gratiae
pro donis impensis.

Orat. ms. Tegurinum anni 1467. Cjm. Monacen. 19991. — Die 1. und 8. Strophe ist dem Glossenliede gleichen Anfangs, Annal. XXX, 274, entnommen, Str. 7 unter Anlehnung an dasselbe zusammengekommen.

13. De beata Maria V.

1. Ave dic ad virginem,
Genetricem gratiae,
Salutis dulcedinem,
Fontem patientiae.
2. Haec est aula regia,
Regina prudentiae,
Virgo plena gratia,
Aurora laetitiae.
3. Haec est melle dulcior,
Castitatis lilium,
Iaspide splendidior,
Gaudii solacium.
4. O fons admirabilis,
Fidei principium,
Mater amicabile,
Vas odoris pretium.
5. Tu es regis speciosi
Mater honestissima,
Odor nardi pretiosi,
Rosa suavissima.
6. Arbor vitae, digna laude,
Stella fulgentissima,
Generosa mater, gaude,
Virginum sanctissima.
7. Tu es via peccatorum,
Regina consilii,
Quae concepit florem florum,
Christum, fontem gaudii.
8. Virga Iesse, lux sanctorum,
Donatrix auxilii,
Memor esto miserorum
In die iudicii.

- | | |
|--|---|
| 9. Tu es mundi gaudium,
Caritatis regula,
Tu chorus caelestium,
Aromatum virgula. | 10. Sit tibi, flos omnium,
Virgo sine macula,
Honor et imperium
Per omnia saecula. |
|--|---|

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 5, 1 regis sponsi.

14. De beata Maria V.

R^o Ave, dulcis, ave pia,
Plena gratia Maria.

- | | |
|--|--|
| 1. Ab aeterno praeparata,
Verbi Dei mater grata,
Per prophetas nuntiata,
Caeli ianua, Maria. | 9. Kanit chorus angelorum
Super vigiliis pastorum,
Natum nuntiant decorum
Iesum Christum de Maria. |
| 2. Benedicta praedicaris,
Antequam concipiaris,
Utero sanctificaris
Annae matris, o Maria. | 10. Letum mundi terminantem,
Lavat crimina lavantem,
Gestat vulnus sagittantem
Beatissima Maria. |
| 3. Caelibatus honestatis,
Habitus humilitatis
Deo placent maiestatis
Super omnes in Maria. | 11. Mater natum contrectabat
De eoque non dubitabat,
Quidquid mente cogitabat,
Semper Deus cum Maria. |
| 4. Defert angelus suave
Deo missum illud Ave,
Per quod Evae iugum grave
Relaxatur in Maria. | 12. Nam cum Deus occurrebat
Mente praesens et vigebat,
Quam perscire . . flebat
Impensando de Maria. |
| 5. Erubescat nunc natura,
Fit creator creatura,
Vili mensus sub mensura
Homo Deus de Maria. | 13. O dulcedo singularis,
Quae tu, virgo, si membraris
Deo nato, virginalis
Fuit osculum Maria. |
| 6. Gestat sinus virginalis,
Quem non capit mundialis,
Non est unquam factus talis
Nisi tantum in Maria. | 14. Paret legi legislator
Circumcisis ut peccator,
Deus sit propitiator,
Deus noster, o Maria. |
| 7. Hora partus imminente
Omni lege stupescente
Virgo parit remanente
Semper virgine Maria. | 15. Quaerant reges regem natum
Stella duce revelatum,
Muneratum, adoratum
In aeternum cum Maria. |
| 8. In praesepe collocatur
Et in caelis adoratur,
Cum iuentis socimatur
Deus natus de Maria. | 16. Rite ergo expiatur,
Cum in templo praesentatur,
Simeon congratulatur
De promisso cum Maria. |

- | | |
|--|--|
| <p>17. Simeon munus praesentatur,
Verbum perfectum inspiratur,
Minime hoc est relatum
Contingenter, o Maria.</p> | <p>20. Xristus redit iam defunctis,
Qui quaerebant cunctis
* * * * *</p> |
| <p>18. Transit puer in Aegyptum,
Per angelum ut est dictum,
Filiumque benedictum
Defert Ioseph cum Maria.</p> | <p>21. Yesus via est et vita,
Salus, virtus infinita,
Per quem nunc sit exaudita
Nostra laus de Maria.</p> |
| <p>19. Ubi venit rex deorum,
Canit turba angelorum,
Cadit ritus Iudaeorum
Coram nato de Maria.</p> | <p>22. Zelus tuae pietatis
Et purgatos a peccatis
Nos conducatur cum beatis
Suppliciter, o Maria.</p> |

Orat. ms. Italicum saec. 15. Cod. S. Ignatii Londinen. s. n. A. — Str. 1—5 auch auf einem Vorsetzblatte einer Hs. saec. 14., wovon ich Abschrift Herrn Petit von der Bibliothéque de Bourgogne verdanke. B. — 1, 2 Caeli Dei mater A; Dei verbo mater B. — 2, 4 Verbum caro de(o) Maria A. — 3, 2 habitum A. — 4, 3 ingum pravae B. — 5, 3 Fit immensus sub mensura B. — Nach Str. 5 ist eine Str. (F) ausgefallen. — 3, 2 habitum A. — 10, 1 Leta mundi A. — 12, 3 fehlen zwei Silben: in der Handschrift ist eine Lücke gelassen. Ergänze mori? Lies praescire? — Str. 13 verdorben. — 14, 1 Parit, legi fehlt A. — 14, 2 ut a peccata A.

15. De beata Maria V.

1. Ave, laetitia, Ioachim dulcedo, Maria,
Vitae munditia, caelesti plena sophia,
Eiciens vitia largire charismata dia.
2. Murus honestatis, thalamus summae deitatis,
Aura voluptatis, tellus promissa beatis,
Regula recta ratis, virguncula florida satis,
Infula praelatis, stola candida sanctificatis,
Ablue peccatis infectos, fons pietatis.
3. Gemma salutatis, spes nostra, Sion specularis
Regina solaris et regni clavicularis,
Aula puellaris et aperta scientia gnaris,
Tu decor altaris, puteis tu dulcor amaris,
Ianua templaris, quae clausa Deo generaris,
Aurea stella maris, placa mare, cui dominaris.
4. Pura Dei matrix, ovis amissae miseratrix,
Lampadis ornatrix, decimae drachmae cumulatrix,
Enoch servatrix et Eliae, Iob relevatrix,
Nostra reformatrix, Domini Sabaoth mediatrix,
Assis, mundatrix animae, mundi reparatrix.

5. Dux gregis aetheri, gaza solis, stella diei,
Olla lebesque spei, speculum nostrae faciei,
Munda farina Dei sine fermento pharisaei,
Iusta medela rei, portus nostrae requiei,
Norma sacrae fidei, damnas haeresin Manichaei,
Urna capax olei, flos egregie Nazaraei,
S
6. Tellus fecunda, sacri baptismatis unda,
Egregia, facunda, rosa mundi, rosa munda
Cumque gemebunda sustinens et sanguinis unda
U
Mundos circumda maculosaque pectora munda.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15. — 6, 2 mundi tu rosa munda. —
6, 3 verdorben. — Nach Ausweis des Acrostichons: Ave Maria, gratia plena,
Dominu[s] tec[u]m wohl unvollständig.

16. De beata Maria V.

- | | |
|---|---|
| 1. Ave, lumen gratiae,
Fons misericordiae,
Virgo fecundata,
Radix pudicitiae,
Spes aeternae gloriae,
Regina beata. | 5. Ave, ros dulcedinis,
Nitor, pulchritudinis,
Rosa sine spina,
Via rectitudinis,
Turris fortitudinis,
Vitae medicina. |
| 2. Ave, venerabilis,
Mater admirabilis,
Per quam lux est orta,
Flos incomparabilis,
Splendor ineffabilis,
Felix caeli porta. | 6. Ave, spes fidelium,
Castitatis lilium,
Victoriae palma,
Spiritus sacrarium,
Dulce refrigerium,
Dei mater alma. |
| 3. Ave, novum gaudium,
Salutis exordium,
Lumen veritatis,
Caeli luminarium,
Languoris remedium,
Forma sanctitatis. | 7. Ave, beatissima,
Magna, maior, maxima,
Praelata caelorum,
Virgo clementissima,
Gemma fulgentissima,
Vera lux sanctorum. |
| 4. Ave, lucis speculum,
Christi tabernaculum,
Virgo benedicta,
Quae salvasti populum
Pariendo parvulum,
Per quem mors est vieta. | 8. Ave, stella fulgida,
Virga Iesse florida,
Radix virtuosa,
Cuncta sanans morbida,
Labe carens sordida,
Mater generosa. |

- | | |
|---|---|
| <p>9. Ave, summa domina,
Quae desuper agmina
Caeli sublimaris,
Cor meum illumina
Et ab hostis machina
Semper tuearis.</p> <p>10. Ave, o puerpera,
Surge, veni, propera,
Tua sancta prece
Mea dele scelera
Ac me prorsus libera.
De peccati faece.</p> <p>11. Ave, hospes animae,
Mibi, precor intime,
Iter para tutum,
Hostis fraudes reprime
Et peccata dirime,
Domina virtutum.</p> | <p>12. Ave, salus omnium
Dulceque solacium,
Pro me semper ora
Et post hoc exsilium
Apud tuum filium
Veniam implora.</p> <p>13. Ave, meque visita
Atque sursum excita,
Dulcis mater Dei,
Pietate solita
Pro me natum rogita,
Semper memor mei.</p> <p>14. Meisque reatibus
Tuis parcat precibus
Auctor pietatis
Ac mundatis sordibus
Mibi det cum civibus
Vivere beatis.</p> |
|---|---|

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15. A. — Brev. Arremarense saec. 15
Cod. Parisin. 1063. B. — Orat. ms. Cluniacense saec. 15. Cod. Parisin. 18571.
Couv. acq. 333. C. — Orat. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Parisin. 18571.
D. — 1, 4 Radix innocentiae BC. — 1, 5 Sedes sapientiae BC. — 1, 6 Mater
illibata C. — Str. 2 u. 3 umgestellt B, Str. 3 steht an achter Stelle C. —
3, 3 Forma sanctitatis C. — 3, 4 Divinum sacrarium C. — 3, 6 Hortus
voluptatis C. — 4, 1 salutis speculum A. — 4, 5 Pariendo filium A. —
4, 6 Per quem est vita A. — 5, 2 Iter pulchritudinis A. — 5, 6 Stella matutina
C. — 6, 1 Ave salus omnium C. — 6, 2 Spes ad te clamantium C. — 6, 4
Caeleste sacrarium B; Castitatis lilium C. — 6, 5 refugium B. — Nach
Str. 6 schiebt C ein:

Ave, morum regula,
Omni carens macula,
Vitae reparatrix,
Florens Iesse virgula,
Solve culpae vincula,
Mundi consolatrix.

Str. 7 fehlt C. — 7, 3 Praeclara A. — Nach Str. 7 schaltet C ein:

Ave, flos munditiae,
Regina clementiae,
Vinculum amoris,
Vitis abundantiae,
Portus indulgentiae,
Mater redemptoris.

Str. 8 fehlt C. — 8, 5 Carens labe B. — 8, 6 Virgo generosa B. — 9, 1
O praecellens domina BCD. — 9, 5 Et sordes elimina C. — 9, 6 Virgo singu-
laris C. — 10, 1 O felix puerpera BCD. — 10, 2 Me iuvare propera C. —
10, 4 Mea terge vulnera C. — 11, 1—3 und 4—6 umgestellt BCD. — 11, 1
Dulcis spes animae B; Dulcis hospes CD. — 11, 4 comprime BC. — 11, 2
Peccataque C. — Str. 12 fehlt C. — 12, 1 O verum solacium B O; dulce
solatium C. — 12, 2 Virgo salus omnium BC. — 12, 5 Apud mitem filium
B. — 13, 1 Eia me visita BCD. — 13, 4 Pro me Christum rogita B; Ipsum
pro me exora B, rogita C. — 13, 5 Pietate solita B; Mundi salus inclita
D. — 14, 1 Ut meis reatibus BCD. — 14, 3 Ductor A, Actor B, Victor C. —
14, 4 Mundatisque C; Ut mundatis B.

17. De beata Maria V.

1. Ave, magni patris agni
Parens benignissima,
Perquam cessit, quae nos pressit,
Mors inferni pessima.
2. Vae mutasti, nam fugasti
Evae matrimonium,
Dum portasti et lactasti
Summi patris filium.
3. Emendare me dignare
Tuum per auxilium,
Quae cum magis ipsis magis
Tuum oras filium.
4. Mente prona tu, matrona,
Repraesentas filium
Ulnis senis, virgo lenis,
In templi sacrarium.
5. Adiuvere me dignare
Nunc in hoc corpusculo,
Mater Christi, quem vidisti
Adfixum patibulo.
6. Reginarum flos cunctarum,
Vides natum, filia,
Resurgentem ac pergentem
Ad caeli palatia.
7. Illum vere nos videre
Per te fac in aethera,
Qui nos lavit et sanavit
Per tormenti vulnera.
8. Adiutorem, redemptorem,
Ora natum inclitum
Me mundari et salvari
Suum per paraclitum.
9. Generosa fulgens rosa,
Terge, quaeso, vitium,
Ne districtum per delictum
Sentiam iudicium.
10. Rosa florum, fons hortorum,
Hinc de carnis cellula
Praeter aequum fac ut mecum
Nulla pergat macula.
11. Alma Dei mater, mei
Ita curam habeas,
Ut post mortem me consortem
Beatorum facias.
12. Castitatis, pietatis
Virtutisque liliū,
Tribulatis, naufragatis
Confer adiutorium.
13. Increatum tuum natum
Tuo nunc precamine
Fac placatum, ne iratum
Cernam in examine.
14. Aditricem te felicem
Nunc habere merear,
Cum damnatis pro peccatis
Ne a vita delear.
15. Plena bonis atque donis,
Vernans inter lilia,
Contemplaris, amplexaris
Gubernantem omnia.
16. Legem doce, per quam voce
Moribusque prosequar
Tuam laudem, fac et fraudem
Semper hostis persequar.
17. Eia, decus mundi, caecus
Per quam lumen recipit,
Fac, sim purus ac securus
Ab hoste, qui decipit.
18. Ne malorum vel reorum
Tormentis afficiar,
Per te piam nunc ad viam
Veritatis erigar.
19. Ac in usum vitae fusum
Per cruorem Domini
Me conforma, vitae forma,
Vitae, precor, ordini.
20. Dei parens sorde carens,
Mihi, rosa virginum,
Sis tutela contra tela
Venenosa daemonum.

21. **O** flos florum, vitiorum
Cunctam terge maculam,
Mater regis, omnis legis
Meque doce regulam.
22. **Mundi** rosa, plus formosa
Cunctis caeli civibus,
Fac, te deam digne queam
Venerari laudibus.
23. **Ierusalem** nata, talem
Genuisti filium,
Quo captivi redivivi
Evadunt supplicium.
24. **Nunc in pugna** pro me pugna
Hostis rumpens caveas,
Bello forti, quaeso, morti
Ne succumbam, caveas.
25. **Virgo casta**, semper asta
Mihî nunc auxilio,
Stella maris, mater maris
Ignara consortio.
26. **Sanctitatis**, deitatis
Gloriosa cellula,
Me dignare te laudare
Per aeterna saecula.
27. **Tu per prolem** pelle molem
Pravae consuetudinis
In me sitam daque tritam
Viam rectitudinis.
28. **Et me grato** te cum nato
Cultu fac exquirere,
Saevientes me quaerentes,
Semper hostes vincere.
29. **Caeli** rosa speciosa,
Per te me custodiat
Caeli princeps ac deinceps
Me a malis eruat.
30. **Ut venenum** me terrenum
Fac amorem spernere
Ac secunda sorde pura
Christum vita cernere.
31. **Mater Christi**, quem pavisti
Inter tua brachia,
Contemplaris, stella maris,
Regem nunc in gloria.
32. **Benedicta**, quae amicta
Es virtutum floribus,
Tu spes reis, precor, meis
Succurre doloribus.
33. **Eternorum** fac bonorum,
Quaeso, me participem,
Quae supernum et aeternum
Genuisti principem.
34. **Nata ducis**, tu perducis
De terrena patria
Tibi notos ac devotos
Ad caelorum atria.
35. **Equitatis**, sanctitatis
Confer abundantiam,
Qua collata, virgo grata,
Da perseverantiam.
36. **Da timentem** mihi mentem
Et amantem Dominum,
Paenitentem ac deflentem
Pravitate criminum.
37. **Inter fluctus** atque luctus
Praesentis exsilii
Nunquam sinas me per spinas
Interire vitii.
38. **Casta, pia** nunc in via
Per te fac ut habeam
Fidem rectam, spem perfectam,
Caritatem igneam.
39. **Tu decora**, precor, ora,
Ut det mihi filius
Finem bonum, quod est donum
Omni dono melius.
40. **Ave**, nata Deo grata,
Per te turis virgulam
Me virtutis et salutis
Fac implere regulam.
41. **Tu, benigna**, Deo digna,
Fac, ut bonis fulciar,
Precor, meo, da, ne Deo
Per tonsuram mentiar.
42. **Vas pudoris** et honoris,
Tua me clementia
Sic praecedat, ne me laedat
Hostis insolentia.

43. Inter bella pro me bella
Carnis immunditiae
Versus castra, tu me castra
Ferro pudicitiae.
44. Ne subtiles nunc hostiles
Incidam in foveas,
Meos gressus ad congressus
Pugnae rege, foveas.
45. Meis dona, virgo bona,
Pacem debitoribus,
Caritate bonis a te
Ornentur et moribus.
46. Virgo pura, me sub cura
Tui nunc regiminis
Fac benignum, Christi dignum
Corporis et sanguinis.
47. Larga mater, tibi pater
Doni plenitudinem
Procuravit, cum sanavit
Per te primum hominem.
48. Iacta, quaeso, mihi laeso
Partem plenitudinis,
Ne inferno in aeterno
Laedar vento turbinis.
49. Exstirpare tu dignare,
Mater veri luminis,
Nati dextra intus, extra
Sordem mei criminis.
50. Rex elegit te, qui regit
Supernorum agmina,
Cum quo gaudes, cui laudes
Promis atque carmina.
51. Iucundare, quae portare
Meruisti Dominum,
Qui sanavit et salvavit
Per te genus hominum.
52. Beata es millesies,
Plus quam dici valeat,
Natum ora, ut in hora
Mei curam habeat.
53. Virgo, dona, nunc ut bona
Seminare satagam,
Virga Iesse, ut in messe
Cum electis colligam.
54. Spiritalem nuptialem
Vestem da per filium,
Ne seducar vel perducar
Mortis ad exsilium.
55. Et, flos verni, ut interni
Fruar dono gaudii,
Purga mentem, tolle dentem
Furoris et odii.
56. Temporali, corporali
Me nunc poena corripe,
Virgo lenis, sed a poenis
Me post mortem eripe.
57. Benedicta, tu invicta,
Tu es sanctis sanctior,
Lux divina, ut cedrina
Cunctis arbor altior.
58. Estivalis et vernalis
Tu lucis amoenitas,
Pulchra florum, decus morum,
Tu virtutum claritas.
59. Nunc fac recto et perfecto
Incedamus tramite,
Ut ad chorum supernorum
Te ducamur comite.
60. Evae luctus pellit fructus
Tui ventris, domina,
Dum per crucem mundo lucem
Dat lavando crimina.
61. Deviare vel errare
Me non sinas, filia,
Ne supernae et aeternae
Priver vitae gloria.
62. Impraegnaris, verum paris
Deum necnon hominem,
Qui in caelo dulci zelo
Te coronat virginem.
63. Castitatis, sanctitatis
Et virtutum filia,
Lumen clarum tu sanctarum
Et sanctorum gloria.
64. Tua lege sic me rege
In hac vita positum,
Vas decoris, ut furoris
Evadam interitum.

65. **Vas** insigne, tibi digne
Semper Ave canitur,
Quia solis tuae prolis
Poenis poena solvitur.
66. **Sancta**, casta, tu devasta
Hostis fraudulentiam,
Lux superna, me gubernata
Tuam per clementiam.
67. **Fructuosa**, generosa
Virgo, mater Domini,
Me nunc totum fac devotum
Tuo sancto nomini.
68. **Reformatrix**, vitae datrix,
Fac me sic praesentibus
Uti bonis, ut non donis
Priver aeternalibus.
69. **Veritatem**, puritatem
Omnemque iustitiam
Ad quaerendam et implendam
Fac ut semper sitiam.
70. **Cunctis** bona nunc matrona,
Errantem me corrige,
Ad rectorum iter morum
Gressus meos dirige.
71. **Terrenorum** me bonorum
Purga desiderio
Et cor meum fac sit plenum
Spirituali gaudio.
72. **V**
.
.
.
73. **Sanctissima**, piissima,
Omni plena gratia
Et formosa plus quam rosa,
Confer vitae spatia.
74. **Vere**, nata, coronata
Coram nato rutilas,
Mater laeta, sine meta
Nunc in throno iubilas.
75. **Emendentur** et salventur
Tuo nunc iuvamine,
Qui adorant et honorant
Te psalmodum carmine.
76. **Nunc**, matrona, largas dona
Mihi, quaeso, lacrimas,
Quarum unda sordes munda
Peccatorum pessimas.
77. **Temporalem** et carnalem
Pelle curam caelitum
Per amorem et fervorem
Doni sancti spiritus.
78. **Rex** caelorum angelorum
Super omnem ordinem
Exaltavit, honoravit
Te decoram virginem.
79. **In** hac vita, fac, ut ita
Cuncto vivam tempore,
Ut finita caelos trita
Possim via scandere.
80. **Sis** lapsorum sauciorum
Salutaris medica,
Quae in throno nati dono
Cantas caeli cantica.
81. **Tu** serena, Deo plena,
Noli me deserere,
Hic sis mecum meque tecum
Fac in aevum vivere.
82. **Vas** dulcoris, fons honoris,
Tu praecellis gloria
Omnes rectos et electos
In caelesti curia.
83. **Impetrare** tu dignare
Mihi, precor, omnia,
Quae petivi, Dei vivi
Mater atque filia.
84. **Trinitati**, unitati
Laudis sit memoria
Et Mariae, matri piaae,
Fine carens gloria.

Orat. ms. S. Mariae ad Scotos anni 1410. Cod. Scotor. Vindobon. 54 h 8. —
2, 1 Te mutasti gegen das Acrostichon. — 3, 4 Tamen oras. — 16, 1 Regem
doce per quem. — 53, 1 et bona. — 55, 1 et interni. — 64, 3 et furoris.

18. De beata Maria V.

1. Ave, maris stella clara,
Praelecta patris cara,
Almi sponsa spiritus.
2. Ave, mater summi regis,
Miserere tui gregis,
Nato reconcilia,
Ave, splendor prophetarum,
Regina patriarcharum,
Angelorum domina.
3. Evangelistarum doctrix
Et apostolorum ductrix,
Confortatrix martyrum,
Plenitudo confessorum,
Solamen universorum
Et corona virginum.
4. Ave, virgo, decus mundi,
Pelle dolos furibundi,
Mater invictissima,
Patriarcharum filia,
Odore vincens lilia,
Aurora pulcherrima.
5. Egressa stirpe regia
De David egregia,
Puella nobilissima,
Concepta sine macula,
Serpentis fugas iacula,
Era potentissima.
6. Ave, virgo, mater Christi,
Solo verbo concepisti,
Sponsa praeclarissima,
Deum verum genuisti,
Quem sincere nutriti,
Parens sacratissima.
7. Sola nam es verbigena,
Manna caeli urna plena,
O speciosissima,
Gaude, virgo gratiosa,
Mater prole generosa,
Radix fecundissima.
8. Sola tu fuisti digna,
Dei filium, benigna,
Gestare, electissima,
Conclave tu trinitatis
Cellulaque deitatis,
Virtutum plenissima.
9. Porta clausa, fons hortorum,
Restauratrix perditorum,
Mater benignissima,
Tu caelestis paradisi
Libanusque non incisus,
Virgo clementissima.
10. Hortus es vere conclusus,
Incombustus Mosis rubus,
Genetrix dulcissima,
Fons uberrimus signatus
Flaminique sancto gratus,
Maria purissima.
11. Tu flos campi convallium
Et singulare lilium,
Virgo serenissima,
Viventis aquae puteus,
Circulus solis aureus,
Regina clarissima.
12. Tu thronus es Salomonis,
Te collaudat sexus omnis,
O gloriosissima,
Tu convallis es humilis,
Es terra non arabilis,
Maria castissima.
13. O virga Jesse florida
Et porta lucis fulgida,
Stella lucidissima,
Tu sol luna lucidior,
Maria [cunctis] dignior
Et pretiosissima.

- | | |
|--|---|
| <p>14. O virgo caelis altior,
Omnibus stellis clarior,
Mater ornatissima,
Abyssu tu profundior
Sanctisque cunctis sanctior,
Maria sanctissima.</p> | <p>17. Accipe melos hoc suave,
Precanti veniam fave,
Domina piissima,
Ave, Dominus est tecum,
In adversis tu sis mecum,
O benedictissima.</p> |
| <p>15. Laudem praefers singularem,
Nec in caelis habes parem,
Virgo spectatissima,
Gloria humani generis,
Purgatrix omnis sceleris,
O matrona altissima.</p> | <p>18. Ave, paradisi porta,
In exsilio conforta
Nos lapsos, mitissima,
Esto, mater illibata,
Miserorum advocata,
Virgo prudentissima.</p> |
| <p>16. Tu maestorum consolatrix
Lapsorumque relevatrix,
Spes nostra suavissima,
O Christi mater, ave,
Dele nostrum crimen grave,
Misericordissima.</p> | <p>19. Assistentes tuae laudi
Propitia nos exaudi,
Maria dignissima,
In hac tu necessitate
Rigidaque tempestate
Inva, dilectissima.</p> |

20. Ne Simonis navicula
Et filii tunicula
Scindantur, carissima,
Ac haereses interime
Haec schismataque reprime,
O mater suavissima;
Tunc impetra, quod gaudia
Possideamus caelica,
Maria largissima.

Cod. S. Floriani (ol. Wiblingen.) XI 210. anni 1578. — 4, 4 Patriarchae Abrahæ filia. — 12, 4 et humilis. — 15, 4 Eine Silbe zu viel; lies: Gloria nostri generis? — 16, 4 Eine Silbe zu wenig; lies: Iesu Christi mater? — 20, 3 Scindebantur. — Nach 20, 4 sq. ist das Lied aus der Zeit des Papstschismas.

19. De beata Maria V.

I.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Ave, maris stella,
Verbi Dei cella,
Veri solis aditus,
Maris aufer bella,
Sopita procella
Da securos transitus.</p> | <p>2. Inter tot flagella,
Lux semper novella,
Fer opem divinitus,
Pro nobis compella,
Mitis ut agnella,
Missum agnum caelitus.</p> |
|---|--|

- | | |
|---|---|
| <p>3. Naufragis tabella,
Manna dans capsella,
Templum sancti spiritus,
Virtutum castella,
Bases, capitella
Tenes in te penitus.</p> <p>4. Virgula tenella,
Permanens puella
Post partum et primitus,
Sacra per labella
Natum interpella
Pro nobis medullitus.</p> | <p>5. Tu pro nobis bella
Potenter debella,
Malignorum fremitus,
Plue pacis mella,
Fac pedum scabella
Pulsos hostes funditus.</p> <p>6. Tuos nos appella,
Tua sub ascella
Muni nostros obitus;
Ave, maris stella,
Sed prae stellis bella
Per caelorum ambitus.</p> |
|---|---|

II.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Ave, stella maris,
Virgo singularis,
Flos et forma virginum,
A Deo donaris,
Esse comprobaris
Vera salus hominum.</p> <p>2. Se pro suis caris
Lapis angularis
Mons infudit culminum
Sedibus praeclaris
Vetri puellaris
Velut imbrem graminum.</p> <p>3. Concipis et paris
Sine tactu maris
Regem fortitudinum,
A quo tu crearis,
Quae ipsa miraris
Florem pulchritudinum.</p> <p>4. Regina vocaris,
Gemma declararis
Supernorum ordinum,
Ubique laudaris,
Splendor praedicaris
Beatorum agminum.</p> | <p>5. Aurora solaris,
Aura salutaris,
Noctem pelle criminum,
Quotiens rogaris,
Ut miserearis,
Ne exspectes crastinum.</p> <p>6. Pravis et ignaris
Et in bono raris
Prece placa Dominum,
Gratia ditaris,
Ut exaudiaris
Iuxta morem pristinum.</p> <p>7. Lampas specularis
Summi luminaris,
Vena fontis luminum,
Fac, ut tuearis
A poenis amarum
Vitae nostrae terminum.</p> <p>8. Quibus memoraris,
Fac, ut videaris
In regno dulcedinum,
Ave, stella maris
Et prae stellis claris
Iubar claritudinum.</p> |
|---|---|

III.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Stella maris, ave,
Germen tam suave
De Iesse progrediens,
Sed plebis ignavae
De felle spinave
Nil omnino capiens.</p> | <p>2. Evae damnum rave
Restaurans per ave,
Luctum Evae nesciens,
At intra conclave
Tam iucundum ave
Gabrielis audiens.</p> |
|---|--|

- | | |
|--|--|
| 3. O mellite fave,
Vigor semper gnave,
Virtus indeficiens,
Tuae precis clave,
Ne nos laedat, cave,
Leo nequam rugiens. | 5. Mater Christi, fave,
Sis nobis pro ave
Miseris compatiens,
Et quos premit, ha, vae
Pondus insuave
Liberes adveniens. |
| 4. Mentis nostrae pravae
Iugum rumpe grave,
Nos ab hoste muniens,
Viae dux et clave,
Destruere fugave
Saevientem totiens. | 6. Corda nostra lave,
Nos ut salvet a vae
Patri compar oriens,
Stella maris, ave,
Tibi semper ave
Super omne quotiens. |

Cod. Trecent. (ol. Claraevallen.) 990. saec. 12. add. saec. 12/13.

20. Ad beatam Mariam V.

1. Ave, mater et virgo virginum,
Ave, rosa et candens lilium,
Ave, spes et solamen miserorum,
Ave, gemma dulcedoque bonorum.
2. O regina, caeli imbuta nectare,
O imperatrix siderum et caelestis curiae,
O Maria, summi regis filia,
O speciosissima et vellus madens area.
3. Ave, cella septiformis spiritus,
Ave, parens electa divinitus,
Ave, reatrix et regina,
Virga florens, tu piscina,
Quam commovit spiritus.
4. Omni laude virgo digna,
Nos reforma, tu benigna,
Maris unda fluctuantes,
Paene mersos, sed laudantes
Te, quae nulla laude cares
Et laudari nulli vales,
Quem mortalis pungit spina,
Nam perfudit te divina
Virtus sua gratia.

Clm. Monacen. 24804. saec. 15.

21. Ad beatam Mariam V.

Ave, mater gloriosa,
Sponsa regis speciosa
Et de partu gaudiosa,
Quae es virgo virtuosa,

Benedicta, pretiosa,
Super omnes gratiosa,
Virgo Iesse generosa,
Pulchra nimis et formosa,
Humilium mitissima,
Sublimium altissima,
Simplicium purissima,
Prudentium doctissima
Et omnium beatissima,
Sis mihi reo benignissima
Miseroque piissima,
Egenti dulcissima,
Petenti gratissima,
Angelorum imperatrix.

Orat. ms. Metense saec. 15. Cod. Meten. 570.

22. De beata Maria V.

- | | |
|---|---|
| 1. Ave, mater sine labe,
Nostrum melos gratum habe,
Quamvis sit insipidum,
Nos informa pacis lege,
Mores orna, linguam rege,
Cor accende tepidum. | 3. Per te enim, quam laudamus,
Ut in luce maneamus,
In spe veri gaudii,
Datur nobis munus gratum,
Munus vere delicatum
Divini susurrii. |
| 2. Quamvis sumus peccatores,
Tui sumus laudatores,
Cuius dulce gremium
Nos astringit, nos demulcet,
Ne nos perdat, nos conculcet
Fraus subtilis hostium. | 4. Tu es lima vetustatum,
Scaturigo novitatum,
Oliva pinguedinis,
Hic elimans nostras mentes,
Ut pinguescant non habentes
In se naevum criminis. |

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt.
Eecl. 375. — 2, 5 Ne fehlt.

23. De beata Maria V.

- | | |
|--|---|
| 1. Ave, mater verbi pia,
Virgo dulcis, o Maria,
Mundum ornans verbo tali,
Caelum flore virginali. | 4. Unde rogo, mater mea,
Tu cor mundum in me crea,
Fac habere fidem rectam
Caritatemque perfectam. |
| 2. Ergo triplex hierarchia
Suavi laudat harmonia
Miris te praelatam donis
Cunctis angelorum thronis. | 5. Laudo ventrem gloriosum,
Qui thesaurum pretiosum,
Praelarum munimine,
Miro clausit ordine. |
| 3. Laudo tuum cor sincerum,
Quod sincera fide plenum
Credidit, hoc posse Deum,
Quod excedit nosse meum. | 6. Haec me beata pondera,
O genetrix christifera,
Fac amore sedulo
Ferre cordis vasculo. |

- | | |
|---|---|
| <p>7. Tuum collaudo spiritum,
Qui per dulcem paraclitum
Novo gaudet tripudio
Tuo dilecto filio.</p> <p>8. Unde, mater laetitiae,
Perfunde risu gloriae
Flentes in hoc exsilio
Tuo felici gaudio.</p> <p>9. O beati oculi,
Quibus lucem saeculi
Meruisti cernere
Tuo tectam vellere.</p> <p>10. Ergo, mundi domina.
Meum cor illumina,
Ut in Iesu faciem
Totam figat aciem.</p> <p>11. Ulnas laudo venerandas
Atque manus adorandas,
Quae gestant Iesum parvulum,
Verbum tractant infantulum.</p> <p>12. Ipsum, rogo, nutrix pia,
Mihi confer in hac via
Complecti mentaliter,
Tractare fideliter.</p> <p>13. Os collaudo tenerum,
Quod praedulcem puerum
Osculatur saepius
Et adfatur dulcius.</p> <p>14. Unde peto, mater Dei,
Puer Iesus cordis mei
Thesaurum possideat,
Et os laude repleat.</p> | <p>15. Laudo beata ubera,
Quibus virgo puerpera
Vagiente Iesulo
Fundis lac puerulo.</p> <p>16. Ergo precor, o regina,
Te precanti tu propina
Lacrimarum rivulos,
Riga mentis oculos.</p> <p>17. Aures laudo virginales,
Quibus voces doctrinales
Christi, mater, audiebas
Et in corde conferebas.</p> <p>18. Ipsas aures nunc inclina,
Virgo, meis precibus,
Tua prece vox divina
Meis sonet auribus.</p> <p>19. Vultu te laudo virginem,
Ad tuam pulchritudinem
Solis stupescit radius,
Patris occurit filius.</p> <p>20. Per hunc aspectum floridum
Vultum mentis fac lucidum
In castitatis lilio
Et intellectus radio.</p> <p>21. Pedes laudo sanctitatis,
Qui fervore caritatis
Agnum sequuntur caelicum,
Novum canentem canticum.</p> <p>22. Hinc, quaeso, mater virtutis,
Nos columna tuae lucis
Duc per viam iustitiae
Ad statum dulcis patriae.</p> |
|---|---|

Orat. ms. Carth. Hildesheimen. saec. 15. Cod. Iosephini Hildesheimen. 3(6).
A. — Orat. ms. Carth. Erfordien. saec. 15. (Privatbesitz). B. — 2, 2 Sua
laudat B. — 4, 4 Ac tu vivam et perfectam B. — 5, 3 Et praeclarum B. —
6, 2 O fehlt B. — 7, 4 In tuo A, Et tuo B. — 11, 3 Iesum gestant B. —
14, 4 Et os meum laude AB. — 15, 3 Vagiente parvulo B. — 15, 4 Lac
fundis B. — 19, 1 In vultu te AB. — 22, 1 Unde quaeso AB. —

24. De beata Maria V.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Ave, mundi spes Maria,
Ave, mitis, ave, pia,
Ave, plena gratia,
Ave, virgo singularis,
Quae per rubum designaris
Non passum incendia.</p> | <p>2. Ave, rosa speciosa,
Virgo nimis generosa,
Ave, Iesse virgula,
Cuius benedictus fructus,
Iesus Christus, nostri luctus
Relaxavit vincula.</p> |
|---|--|

- | | |
|--|---|
| <p>3. Ave, cuius viscera
Contra mortis foedera
Ediderunt filium,
Ave, carens simili,
Mundo diu flebili
Reparasti gaudium.</p> | <p>6. Ave, sidus, lux dierum,
Mater lactans regem rerum,
Genitorem filia,
Ave, verbi sacra parens,
Per te mundus viget arens,
Per te datur venia.</p> |
| <p>4. Ave, virginum lucerna,
Per quam fulsit lux superna
His, quos umbra tenuit,
Ave, virgo, de qua nasci
Et de cuius lacte pasci
Rex caelorum voluit.</p> | <p>7. Ave, verbi Dei cella,
Salva reos a procella
Mundi huius noxia;
Mundum pingis novo flore,
Florem paris miro more
Novi floris gratia.</p> |
| <p>5. Ave, caeli luminarium,
Spiritus sancti sacrarium,
In te fulsit fecunditas;
O quantum mirabilis,
O quantum laudabilis
Est et haec virginitas.</p> | <p>8. Mater regis et regina,
De malorum nos sentina
Perduc ad caelestia;
Dele culpas, o Maria,
Per te nobis detur via
Ad aeterna gaudia.</p> |

Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. — 2, 4 Cuius fructus benedictus. — 5, 5 O fehlt. — Das Lied ist bearbeitet aus Teilen von Mone Nr. 518, 519 und 520.

25. De beata Maria V.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Ave, plena gratia,
Virgo singularis,
Vena fluens venia,
Dulcor in amaris,
Erue, propitia,
De profundo maris
Miseros, quos propria
Dextra tuearis.</p> | <p>Ablue nos sceleris
Faece tu, benigna,
Cuiuscunq̄ generis
Amove maligna.</p> |
| <p>2. Arce fraudes hostium,
Fraudis inimica,
Robur te querentium
Pacis et amica,
Imminentem terminum
Lucis tuae mica,
Absit lues sordium,
Sitque mens pudica.</p> | <p>4. In caelestis patriae
Sede stabilita,
Ad tuae clementiae
Fontem nos invita,
Potum nobis gloriae
Parans in hac vita,
Laus tibi laetitiae
Patet infinita.</p> |
| <p>3. Gratior prae ceteris,
Ferre Christum digna,
Reginarum praeteris
Cuncta laudum signa,</p> | <p>5. Eia, sancti spiritus
Fecundata rore,
Nati tui caelitus
Reple nos amore,
Animusque concitus
Sit eius timore,
Diro quo sit penitus
Liber a furore.</p> |

6. O beata virginum
Mater et regina,
Morbos aufer criminum,
Vitae medicina,
Imminentem terminum —
Mortis es ruina —
Notum fac et Dominum
Pandere festina.
7. Valetudinarium
Languidis paratum,
Sanans aegrotantium
Morbum et reatum,
Tecum geris pretium
Pro salute datum,
Egris post remedium
Dans felicem statum.
8. Carens omni carie,
Nutrix Deo cara,
Vas misericordiae,
Datrix non amara,
Mater esto veniae,
Spes et lux praeclara,
Beataeque curiae
Nobis iter para.
9. Exsules ad proprium
Solum reduxisti
Nati per supplicium,
Passum quem vidisti,
Eius mortis gladium
Undique sensisti,
Demum hic in gaudium
Cuncta convertisti.
10. In te confitentibus
Fons auxiliorum,
Confer lumen cordibus
Honestatis morum,
Tuis tuens precibus
Agmina tuorum,
A te postulantibus
Dans regna caelorum.
11. Tu puella nobilis
Nimis et formosa,
Vitae venerabilis
Luce radiosa,
- Iubar sine nubilis
Lustrans tenebrosa,
Nudo vestis habilis
Contege probrosa.
12. Mulierum omnium
Summa dignitate,
Vigor invocantium
Mentis illustratae,
Libera cor noxium
Culpa caecitate
Innuens consilium
Nitens veritate.
13. Ergo, felix condita
Mater es ancilla,
Rutilas ut edita
Flamma de scintilla,
In qua spes est posita
Mundi, tu es illa
Bona dans abscondita
In aede tranquilla.
14. Visita nos saepius
Compassiva cura,
Sensus ut sit sobrius
Actioque pura
Evitando cautius
Cuncta nocitura,
Teneas superius
Gaudia futura.
15. Benedictus uteri
Sacri tui fructus
Evae crimen conteri
Praestitit et luctus,
Ne mergantur posteri
In tam saevos fluctus,
Ex quo solet conqueri
Vir Adam seductus.
16. Dulci merce veniens
Navis onerata,
Imple cor esuriens
Prole per te data,
Cuius plebs concipiens —
Ergo tu laetata —
Tota vi perficiens
Caelica mandata.

17. Vitae de te promitur
 Potus sitibundo,
 Sitis ex quo tollitur
 Universo mundo,
 Faciamus igitur
 Opere secundo,
 Recte quod praecipitur
 Pectore iucundo.
18. Veritatis tramitem
 Famulis ostende,
 Caritatis fomitem
 Cordibus accende,
 Te fac nostrum limitem
 Rei peragenda
 Viarumque comitem
 Te nobis impende.
19. Scala tu perpetua
 Et caelorum via,
 Vitae patens ianua
 Et legis sophia,
 Elige melliflua,
 Precum virgo pia,
 Nos ad tua pascua,
 Dulcis o Maria.
20. Turris o tutissima,
 Tuos intueri,
 R

 In dierum ultima
 Curam nostri gere,
 Saevos, o fortissima,
 Hostes manu tere.
21. Tua sic nos regula
 Regat ad certamen,
 Ut post fracta vincula
 Carnis et luctamen
 In sublimi specula
 Det nobis solamen,
 Qui vivit in saecula
 Saeculorum. Amen.

Cod. Parisin. 11343. saec. 15. — 9, 7 Deus hic in. — 12, 7 Innuans. —
 20, 7 Saevos o felicissima. — Acrostichon: Ave, Maria, gratia plena etc.

26. De beata Maria Virgine.

- Ave, porta poli, noli te claudere mota,
 Vota tibi grata data suscipe, dirige mentem
 Entem sinceram, veram non terreat ater,
 Mater virtutum, scutum, via, semita clara,
5. Ara Dei, per te certe datur hostia vitae,
 Rite deflenti genti fert gaudia mira,
 Iraque cessatur, datur et pax, carmina laudis
 Audis, non spernis, cernis, pia, labe gravatos,
 Gratos hosque Deo, leo ne voret, efficis; aegis,
10. Regis stirpe sata, data nobis, sis pia fauatrix,
 Auctrix mercedis, caedis regem tenebrarum,
 Clarum vas mellis, fellis sine crimine pura,
 Iura foves plene, lene luces frangis et hastas,
 Astas turbatis, statis offers te fore matrem,
15. Patrem redde pium, dium per saecula numen,
 Lumen adoptatum, gratum das, quod tibi saeva
 Eva tulit temere, vere reddis, trabeata,
 Nata David regis, legis lux, thema suave,
 Ave, tuos rape tu fletu, rege, virgo benigna,

20. Digna Dei nutrix, tutrix orbis tibi nomen,
Omen in aede, bonum donum, dos larga modestis.
Maestis succurris, turris salvans bona cuncta,
Iuncta Deo gaudes, laudes tribuat tibi tota
Nota cohors cleri; mihi refoles quasi myrtus,
25. Virtus es morum, florum flos, regia cella,
Stella, Maria, maris, paris hunc, qui te tibi fecit,
Te scit ab aeterno verno de stipite Iesse
Esse rosam puram, curam gere termino faecis,
Caecis recta via, pia mundo, nosque gubernata,
30. Verna poli, soli, portat quod trinus et unus,
Munus; ave suave misit tibi digna puella,
Bella remota facis, pacis tu foedera praestas,
Estas iam flores, flores ut murrage Tempe,
Nempe veni, leni zephyrus [cum] flamine ventus,
35. En, tus, formosa rosa, sacra veni, veneranda,
Danda tibi dona bona suscipe mille, propinqua,
In qua [turtur] avis suavis vocem dat aperte,
Certe sponsa, soror, moror, assis, surge, columba,
Tumba referta rosis, dosis es, regina, monarcha,
40. Arca novae legis, tegis intus manna salutis,
Tu tis nos ducis, lucis civitas, ad amoena.
Vena fluentis aquae da, quae sunt gaudia, tristi,
Isti gaudia fer, vafer resistat ut hosti.
Nosti, grata Deo, fleo, sim sine perpete fletu,
45. Me tu solare, mare placa, noxia munda,
Undaque me volvat, solvat tua gratia mites,
Lites complanans, sanans das pocula vitae.
I, te sponsus amat, clamat, conscende, capescas
Escas sanctorum, quorum medio dominaris.
50. Raris caelestes vestes variis cape signis,
Ignis amor dius pius ex te lucet, amanda,
Blanda sunt alloquia, quia lumine lucis amicta.
Victa morte tua sua regna tibi dat in aevum,
Saevum qui pressit gessitque crucem sibi tergo.
55. Ergo fine sine tegit et regit omnia nutu.
Tutu dulcis ita sita praefers ubera vino,
Bino cum fructu luctu cor dirige maestum.
Estum tu releva, leva, dextraque det, decet hoc te,
Nocte die sequi te qui vult, prodiga vera
60. Era sibi pandis, scandis quasi virgula fumi,
Dumi te signum dignum designat opimam.
Imam te rexit, vexit super aethera Iesus,
Caesus verberibus, cibus angelicus, speciali
Tali nos recrea, dea caeli, nectare, mitis
65. Vitis, nos pota, nota virga, quam tulit Aaron,
Saron tu decor es, mores nostros rege, iacta

- Facta nefanda retro, taetro ne laedar ab hoste.
Ros te sacrauit, pavit te pneuma beatum,
Vatum materia, tria regem munera laudant.
70. Claudant os stulti fulti falsique sophistae,
Triste cor horum, quorum sunt ista superba
Verba: paris maris ex tactu seu semine prolem,
Solem caelestem; pestem tu pelle potenter.
Venter clausus erat sacer, at nunc integra quaeque
75. Eque, virginitas, ditas nos rore suavi,
Navi iam mersae, versae da prospera vota.
Tota puellaris, paris inscia, protege clerum,
Rerum servatrix, datrix veniae, mala punge,
Iunge coronatis gratis nos hos, era digna.
80. Signa qui poscunt, noscunt te, sic quoque sume
Tu me, Maria pia, protege [tu] meque tuere.
Vere Praepositus, situs in Glogav Ioha scripsi,
Ipsi salvamen mihi praesta caelitus. Amen.

Collect. ms. Hermanni de Nova Civitate saec. 15. Cod. Vindobonen.
5191. — 15 reddis. — 18. In der Hs. scheint trahe zu stehen. — 56 Über
Tutu steht „geminatio“. — 36 diripe. — 80 sicque sume. — Nach Vers 82
ist Verfasser dieser Künstelei Iohannes, praepositus Glogaviensis.

27. De beata Maria V.

I.

- | | |
|--|--|
| 1. Ave, regina caelorum,
Clarum iubar supernorum,
Mater Dei, virgo vera,
Pia, mitis et sincera. | 3. Dona mihi cor contritum,
Rege visum et auditum,
Atque gustum et olfactum,
Dulcis mater, rege tactum. |
| 2. Virgo Dei, Deo digna,
Nato prece me consigna,
Preces audi, praesta votum,
Cor in bono fac immotum. | 4. Ut in cunctis te regente
Vivam Deo pura mente
In consortio sanctorum
In saecula saeculorum. |

II.

- | | |
|--|---|
| 1. Ave, virgo columbina,
Babylonis de sentina
Mihi tutum da ducatum,
Plasmatorem fac placatum. | 3. Superare fac me mundum,
Ne demergat me profundum,
Ne me sinas naufragari
In peccatis in hoc mari. |
| 2. Esto mihi consolatrix,
Pro me sis interpellatrix,
Pro me natum interpella,
Salva mortis de procella. | 4. Potens in conspectu Dei,
Memor esto, precor, mei,
Memor esto supplicantis,
Audi preces lacrimantis. |

III.

1. Ave, sancta, sanctissima,
Omnium beatissima,
Nunc in caelis sublimata,
Esto mihi semper grata
2. Et ab omni malo tutrix,
Pia mater et adiutrix,
Vivendo hic humiliter,
Tandem tecum perenniter.
3. Tuam, precor, pietatem
Et immensam sanctitatem,
Ut in mea paupertate,
Animae fragilitate,
4. Mihi velis subvenire
Et ne sinas me subire
Ulla causa laesionis
Vel perversae suasionis.
5. Heu, in quantis constitutus
Sum peccatis et pollutus,
Foedae faece culpae foedor,
Cerne, quantis, virgo, laedor.
6. Intus, foris culpae spinis,
Fac securum me de minis
Corruentis huius mundi,
Virgo, iuva, ne contundi
7. Ictu sinas me draconis
Infernalis Babylonis,
Sed da locum et ducamen
Ad caeleste regnum. Amen.

IV.

1. Ave, lucis tu aurora,
Esto praesens mortis hora,
Decumbentem fove, leva
Et a morte solve saeva.
2. Ut te duce lucis via
Migrer tecum, o Maria,
Et caelesti fruar dono
Iubilando dulci sono.
3. Laudans Iesum voce digna,
Per quam mira fiunt signa,
Duplex mors me ne infestet,
Natus tuus idem praestet,
4. Tua prece exoratus,
Idem pater qui et natus,
Idem utriusque flamen,
Trinus unus Deus. Amen.

V.

1. Ave, vera humilitas,
Caritas et benignitas,
Tu sol mirae fulgentiae
Et fons supernae gratiae.
2. De caritatis lumine
Libera nos a crimine,
De splendore veri solis
Da gratiam christicolis.
3. Tu pro nobis omni hora
Iesum natum sic exora,
Ut a malo eruamur
Et ad vitam perducamur.
4. A delictis mundi toti,
Sic confessi et devoti
Requiescamus in pace,
Ne damnemur in fornace.

VI.

1. Ave, legis plenitudo,
Sanctorum beatitudo,
Tu actus munda noxios
Et pelle adversarios.
2. Et cum tua familia
Da mihi beneficia,
Ut in morte non pavescam
Neque reus erubescam.

3. Et post hoc exsilium
Possim tuum filium
Contemplari cum beatis
In conspectu deitatis.

VII.

- | | |
|--|--|
| 1. Ave, templum Iesu Christi,
Digna tollere fuisti
Miseriorum gemitus,
Dum facta es divinitus | 3. Quae das lapsis relevamen
Et infirmis medicamen,
Mihi dona sanitatem
Atque cordis puritatem. |
| 2. Vera mater honestatis
Summaeque benignitatis,
Tu laudanda omni hora,
Adoranda sine mora. | 4. Pro me semper intercede,
Ut et caelesti mercede
Ditet Deus cum beatis
Regno suae claritatis. |

VIII.

- | | |
|---|---|
| 1. Ave, puteus aquarum
Tu omnium gratiarum,
Mihi semper administra
Dona pelleque sinistra. | 8. Nomen tuum dulce nimis
Memorandum est imprimis,
Ubi nomen tuum sonat,
Spem salutis verae donat. |
| 2. Ecce, ad te confugio,
Virgo, mea salvatio,
Spes salutis et veniae,
Mater misericordiae. | 9. O Maria, mater Dei,
Miserere semper mei,
Tolle a me hic peccatum,
Quidquid male perpetratum. |
| 3. Serva ad te fugientem,
Salva in te confidentem,
Tene tibi commendatum,
Leva servum conquassatum. | 10. Per te vere me salvari
Credo atque reparari,
Ergo pro me roga Deum,
Ut absolvat suum reum. |
| 4. Dono tuae pietatis
Fac, ut solvar a peccatis
Et a poenis, quas merui,
Quibus perpetrando rui. | 11. Exaudi me et suscipe
Meque clementer respice
Et visita me miserum,
Oppressum mole scelerum. |
| 5. Super omnes te adoro,
Super omnes te imploro,
Tu es enim potentior,
Inter omnes sublimior. | 12. Nam si tu me visitabis,
Visitando me purgabis,
Tua enim visitatio
Est scelerum ablutio. |
| 6. Nullus enim confundetur,
Qui te rogat, non perdetur,
Qui se tibi commendabit,
Vere tecum conregnabit. | 13. O domina veneranda
Super omnes et amanda,
Si me velis adjuvare,
Quis me coget desperare? |
| 7. Qui te invocabit pure,
Salvabitur vero iure,
Nomen tuum invocare.
Hoc est opus salutare. | 14. Ille potest desperare,
Qui te non vult invocare,
Tota enim salus nostra
Ex te sola est progressa |

IX.

1. Ave, vera salus nostra,
Domans inimici rostra
Atque eius dominium
Per salutis mysterium.
2. Mentem meam tu sic gyra,
Non vincatur ulla ira,
Atque linguam sic refræna
Ne sit verbis ea plena.
3. Ut proferat per te verba,
Non tamen mente superba,
Ecce, me tibi commendo,
Guberna, rege tuendo.
4. Per te, precor, sim purgatus
Nec plus peccare paratus,
Tandem sic valeam sisti
Deo, quem tu genuisti.
5. O domina gloriosa,
Super omnes speciosa,
Tutricem tu mihi da te,
Quæso, ut protegar a te.
6. Assis mihi supplicanti
Et te sæpe invocanti,
Hoc mihi solum dignare
Te et natum adamare.
7. O virgo nobilissima,
Dulcissima, dignissima,
Fac me digne te laudare,
Tecum semper habitare.
8. Tu omnium dignissima
Et virginum castissima,
Fac me digne confessorum
Et virginum tenere chorum.
9. O domina Deo cara,
Stirpe decens ac præclara,
Sed meritis præclarior
Moribusque nobilior,
10. Mihi omnia damnosa
Pelle, virgo generosa,
Tuis meritis præclaris
Me salva, o stella maris.
11. O domina gratissima,
Virtutibus dignissima,
Omni bono tu fecunda,
Quod nulli es hinc secunda.
12. Virgo semper, ante partum
Et in partu et post partum,
Iure cunctis es prælata,
Super omnes exaltata.
13. Semper casta, semper pura,
Semper Deo placitura,
Nunquam levis, nunquam vana,
Ac si esses inhumana.
14. Dona mihi hic sincere
Deum iugiter timere,
Ut cum venerit Messias,
Me ducat ad melodias.

X.

1. O domina dominarum,
Tu regina reginarum,
Propter tuam dignitatem
Et meam malignitatem
2. Pravitatem cordis pelle,
Quod abundat omni felle.
Ego pauper et egenus
Et a Deo alienus
3. Adversum me irritavi
Deum meum, dum peccavi,
Quem tu mihi pacifica,
Dei mater et unica.
4. Ut in eius maiestate
Regar tua bonitate
Et valeam tecum vere
Cælum in ævum retinere.
5. Hoc te posse impetrare
Credo firmiter et clare,
Quapropter hæc mihi dona,
Sola spes atque patrona.
6. O Maria, flos virginum,
Ora pro me ad Dominum,
Ut ad cæli palatia
Perveniam te prævia.

7. Fac me sine periculo
Sic migrare de saeculo,
Ut occurens cum angelis
Me suscipias in caelis.

8. Ibi tecum sine fine,
Ubi quies, nullae minae,
In aeternum aeternorum
In saecula saeculorum.

XI.

1. O praeclara stella maris,
Quae in aevum gloriaris,
Me ad portum fac venire
Neque sinas me perire.

3. O Maria, lumen vitae,
Fac me audire Venite
Absque ulla gravi fraude.
Sicque vitam meam claude,

2. Et perduc me, ubi gratae
Caeli portae reseratae,
Ut coniungar salvatori
Hic in forma meliori.

4. Tandem tecum contemplari,
Contemplando gratulari
Laudando Deum deorum,
Quem laudant caeli caelorum.

XII.

1. Ave, stella matutina,
Peccatorum medicina,
Mundi princeps et regina
Esto nobis disciplina.

4. Tu es area compluta,
Caelesti rore imbuta,
Sicco tamen vellere;
Tu nos in hoc carcere

2. Sola virgo digna dici,
Contra tela inimici
Clipeum pone salutis
Tuae titulum virtutis.

5. Consolare propitia,
Dei plena gratia,
O sponsa Dei electa,
Esto nobis via recta

3. Tu es enim virga Iesse,
In qua Deus fecit esse
Aaron amygdalum,
Mundi tollens scandalum.

6. Ad aeterna gaudia,
Ubi pax et gloria,
Et nos semper aure pia
Dulcis exaudi Maria.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15. — III. 4, 2 sq. Entweder ist subire im Sinne von perire (untergehen) zu nehmen oder 4, 3 zu lesen ullam causam. — IV. 3, 3 ne fehlt; infestat. — 3, 4 praestat. — VI. 2, 3 non fehlt. — VII. 2, 3 fehlt eine Silbe; Tu ergänzt. — VIII. In diesem Abschnitt finden sich mehrere Strophen, die auch in dem Liede Ave caelorum ianua vorkommen, welches man vergleiche. — IX. 7, 2 et dignissima. — X. 4, 4 Lies: Caelum semper retinere? — XI. 2, 1 Et perduc ibi me gratae. — XII. 1, 4 fehlt; ergänzt nach Mone II, 321. — 5, 3 fehlt eine Silbe; O ergänzt. — 6, 4 exaudi virgo Maria.

28. De beata Maria V.

1. Ave, rosa tu caelestis,
Vera glosa, quae scelestis
Numen es latura;
Ave, prosa novae legis,
Nam dulcosa verba legis,
Lumen paritura.
Ave, latrrix summi regis,
Superatrix es quae regis,
O praedulcissimum ave,
Miseros nos solve a vae.

2. O regina, caeli porta,
Tu crimina nostra porta,
Consolatrix pia,
O divina stella maris,
Tu propina opes maris,
Miseratrix dia.
Cella sacrata tu vera,
Bella celata, quae fera
Mundo tulit virgo, dele
Pugna caelestis tutelae.

3. Tu velata satis velis,
 Ut placata fore velis,
 Precor, gratiose,
 Adornata poli sedes,
 Supportata fessis sedes,
 Posco, sis dulcose,
 Praelucida signo canis,
 Quae florida verbo canis,
 Saporem donans malorum,
 Mater dulcis sis malorum.
4. O figella suavis toni,
 Dona mella sacri doni,
 Dulcis harmonia,
 O praemella sumi facis,
 Non rebella, quae nam facis,
 Pacis anabia.
 Tu capella Dei et vas,
 Tormella Dei, quod est pas,
 Tu femella, quae non pellis,
 Saeva fella, mater, pellis.
5. Tu arcana Dei vides,
 Nulla vana constat fides
 In te nunc visura,
 Lapsis sana sacra Venus
 Non inana prout fenus
 Per te fit usura,
 Gratiiosa semper venis,
 Sis formosa nostris venis,
 Tu nos pota sacris vinis,
 Praesta, quod bonus sit finis.
6. Sanctitatis verus liber,
 Libertatis magne liber.
 Reorum lorica,
 Sanitatis confer lectum,
 Trinitatis opus lectum,
 Piorum amica,
 In caelico throno iaces,
 Famelico mel tu iaces,
 Fave, quod lenis sit natus
 Malis nostris a te natus.
7. In aurora lucis mane
 Tu, dulcora, mecum mane,
 Maria tutatrix,
- Indecora, quae nam sero,
 Sine mora, sine sero
 Sis pia purgatrix,
 Dieculam salubrem fer,
 Plebeculam ornans ut ver,
 Ignoscenunc, quod non novi
 Normulas praecepti novi.
8. Mente pura Christum ora,
 Quod futura mortis hora
 Det mite solamen,
 Laesis cura verax eris,
 Corda dura non sis heris
 Sed suave salvamen;
 Tu salva nos in hoc festo
 A daemone tam infesto,
 Miseris non polum claudis,
 Sis medela sacra claudis.
9. Mortuosis vitam paris,
 Tu exosis non es par his,
 Fidei columna,
 Tu damnosis multum prodes,
 Me verbosis nunquam prodes,
 Alvei alumna,
 Donatrix es summi dotis,
 Sis stirpatrix malis totis,
 O salutifera caro,
 Soboli nos apta caro.
10. Veniis es nunquam parca,
 Vitiis nostris nunc parca,
 Casa Dei diva,
 Medelis nos sacris munda,
 Immundis tu confer munda
 Corda templativa,
 Generosa alma regis,
 Sis dulcosa, virgo, reis,
 Tuae acquiesce irae
 Et nos fac ad prolem ire.
11. Ave, mater summi ducis,
 Nam quemvis ad prolem ducis,
 Ave, tu templaris vita,
 Devotos tibi non vita.
 O Diana celsae aedis,
 Nam profana nulla edis,
 Vera lux praefulgens soli,
 Tu nos iunge nato soli.

29. De beata Maria V.

1. Ave, sancta, sanctis sanctior,
Tu angelis felicior,
Virtutibus sublimior
Et thronis [es] excelsior.
2. Tu Cherubim prudentior,
Tu Seraphim ardentior,
Tu sola cunctis altior,
Deo tantum inferior.
3. Solus Deus excipitur,
Cetera vincis omnia,
Dignitas tua vincitur
A sola Dei gloria.
4. A me, virgo, si lauderis,
Indigno non indigneris,
Sed habere me maiorem
Te laudando fac amorem.
5. Ave, ergo suavitatis
Nostrae tympanistria,
Via vitae, vera vitis
Et cella vinaria.
6. Ave, sponsa Salomonis,
Fermentatrix femina,
Qua vetusta Pharaonis
Relevatur sarcina.
7. Tu lucerna paradisi,
Ostium et ianua,
Tu vervecis os occisi,
Genetrix ingenua.
8. Ave, scala, qua descendit
Inclinata deitas,
Ave, litus, ad quod tendit
Nostrae molis gravitas.
9. Ave, mundi medicina,
Mundi purgans lolium,
Ave, rosa sine spina,
Castitatis lilium.
10. Ave, turris, quam vallavit
Incorrupta firmitas,
Ave, castrum, quod intravit
Sola verbi veritas.
11. Ave, scirpea fiscella,
Parvulum excipiens,
Ave, parens et puella,
Sine pari pariens.
12. Virga, virgo, nuncuparis,
Templum, vas, sacrarium,
Porta clausa, lux solaris,
Caeli luminarium.
13. Rubus ardens, madens vellus,
Gedeonis area,
Fons signatus, ferax tellus,
Granum sine palea.
14. Gemma, iubar, lar, talentum,
Spes et laus prophetica,
Cinnamomum, ros, unguentum,
Radix aromatica.
15. Palma, palmes, pavementum,
Piscina probatica,
Botrus, hortus, uva, favus,
Thalamus, triclinium.
16. Arca, navis, aura, portus,
Luna, lampas, atrium,
Porta, manna, vallis, nubes,
Tus, muscetum, balsamum.
17.
.
Murra, murtus, thronus, ced-
rus,
Ovis, apis, oleum.
18. Vitrum, uva, claustrum, cella,
Domus, aula, civitas,
Flos, fenestra, lumen, stella,
Sol, aurora, claritas.
19. Tu columba, tu columna,
Tu vitta coccinea,
Tu alatrix, tu alumna,
Tu Engaddi vinea.
20. Tu es laurus, tu oliva,
Tu peccati venia,
Tu patris es genetiva,
Mater es et filia.

21. Ergo patri, mater pia,
Natos reconcilia;
Per decus horum nominum
Da paenitendi spatium,
Confer salutem corporum
Veramque pacem cordium.

Cod. S. Floriani XI 172. saec. 15. — 1, 1 Lies O sancta sanctis? —
6, 3 venusta. — 7, 4 Genetricis. — 10, 3 Ave castellum. — 16, 1 auram. —
16, 3 valles. — 20, 3 Tu patris es maria.

30. Oratio de Beata Virgine

ad modum serti facta.

1. Ave, signis figurata,
Fide dignis adprobata,
O deitatis forma,
Ab aeterno praeparata,
In scripturis figurata,
O sanctitatis norma.
2. Ave, alvo consecrata,
Mediatrice nobis data,
O sancta propago,
Gabriele salutata,
Patris dono obumbrata,
O dulcis imago.
3. Ave, pneumate rigata,
Trinitate fecundata,
O vitis fructuosa,
Christi mater, soror, nata,
Imperatrix Deo grata,
O immaculata rosa.
4. Ave, trinitatis stilla,
Dei mater et ancilla,
O filia prolis,
Casta, humilis, tranquilla,
Grandis, lenis et pusilla,
O ianua solis.
5. Ave, grata margarita,
Solo tecta, sed quaesita,
Purissima puella,
Manu Dei expolita
Et virtute redimita,
Clare micans stella.
6. Ave, vellus Gedeonis,
Purum vas electionis,
Aromatizans cella,
Ardens rubus visionis,
Mater veri Salomonis,
O rosula bella.
7. Ave, mater illibata,
Virgo mire impraegnata
De cellula mellis,
Aula regis adornata,
Caritate deaurata,
O nescia fellis.
8. Ave, sidus matutinum,
Fletum tergens vespertinum,
O lux tenebrarum,
Caelum purum crystallinum,
Pietatis pande sinum,
O pulchra rosarum.
9. Ave, Christo consecrata,
Rosa rosae copulata,
O flos sine spina,
Hesther mire sublimata,
Nostra clemens advocata,
O stella marina.
10. Ave, virgo, mater, parens,
Stella micans, labe carens,
O virgo serena,
Caeli porta cunctis patens,
Fons salutis large scatens,
O mater amoena.

11. Gaude, clavis carcerum,
Medicina vulnerum,
O dux animarum,
Pauperum solacium,
Mundi sanctuarium,
O sacra sacrarum.
12. Gaude, palma gloriae,
Signum tu victoriae,
O cedrus odora,
Rosa patientiae,
Murtus temperantiae,
O gemma decora.
13. Gaude, nubes lucida,
Divo rore gravida,
O virgula turis,
Virga Iesse florida,
Austro flante rorida,
O praevia iuris.
14. Gaude, innocentiae
Sedes, sapientiae
Nivea columba,
Aula regis aurea
Ac virtute florida,
O deitatis tumba
15. Gaude, Dei balsamus,
Caeli ingens iubilus,
O virgo pudica,
Prophetarum calamus,
Tu conclusus hortulus,
O regis amica.
16. Gaude, mater humilis,
Virgo Christi nobilis,
O summa columna,
Tu lucerna luminis
Et vas purum numinis,
O pacis alumna.
17. Gaude, vas munditiae,
Vena scatens veniae,
Veniam propina,
Invicta dux iustitiae,
Serena lux laetitiae,
Caelica regina.
18. Gaude, regis solium,
Virtutum viridarium,
O flos dominarum,
Dei promptuarium,
Pneumatis sacrarium,
O sancta sanctarum.
19. Gaude nunc, stellifera,
Regina sceptrifera,
Stella matutina,
O alma christifera,
Oliva fructifera
Et flos sine spina.
20. Gaude, clavis caelica
Et dulcedo mellica,
Clavis carceralis,
Mater tu virginea,
Tis natus verbigena,
Virgo maternalis.
21. Salve, ebur castitatis,
Thronus summae maiestatis,
Auro circumdatus,
Sacer sponsi thalamus,
Claritate fulgidus,
Floribus ornatus.
22. Salve, caeli porticus,
Hortus aromaticus,
Flamine rigatus,
Amoenitatis rivulus,
Iucunditatis flosculus,
Liliis stipatus.
23. Salve, lux scientiae,
Inventrix elementiae,
Gratiae pincerna,
Rosa rubens facie,
Stans firmiter in acie,
Subventrix aeterna.
24. Salve, porta aurea,
Fenestra caeli pervia,
Porta clausa ducis,
Ore facundissima,
Vultu devotissima,
Maestos introducis.

25. Salve, caelum reserans,
Elementa superans,
Tis fecunditate,
In supernis imperans
Et prae cunctis iubilans
Tua sanctitate.
26. Salve, forma virginum,
Fortitudo flaminum,
Martyrum corona,
Verbis efficacior
Herbisque salubrior,
Dans aeterna dona.
27. Salve, terra latior
Abyssoque profundior,
Summa pietate,
Mente sole purior,
Lunari globo clarior
Divina claritate.
28. Salve, angelis subtilior,
Spiritus agilior,
Sanctior creatis,
Cherubim prudentior,
Seraphim ardentior
Ardore caritatis.
29. Salve, caelo altior
Atque sanctis sanctior,
Prona trinitatis,
Gemmis es acceptior
Regnisque praestantior,
Paradisus deitatis.
30. Salve caeli imperatrix,
Nostri casus reparatrix,
Subleva gravamen,
Regem clemens supplica,
Ad parcendum provoca;
Omnes dicant Amen.

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolin. IV^o 29. — 11, 4 solarium. — 13, 2 Divino rore. — 20, 5 Tuus natus. — 20, 6 O virgo. — 28, 1 Zwei Silben zu viel; Salve zu kassieren? — 29, 6 Zwei Silben zu viel: lies: Hortus deitatis? — Die Aufschrift „ad modum serti facta“ würde 50 Strophen erwarten lassen; vielleicht ist das sertum oder rosarium unvollständig.

31. De beata Maria V.

1. Ave, sponsa Dei patris,
Miserorum miseratrix,
Misericors Maria.
2. Ave Iesu Christi mater,
Te honorat Deus pater
In caelesti curia.
3. Ave, cognata spiritus
Sancti facta divinitus,
Te laudant caeli spiritus.
4. Ave, regina caelorum,
Mater regis angelorum,
Virgo beatissima.
5. Ave, lucerna gloriae,
Ave, piscina gratiae,
Ave, clementissima.
6. Salve, templum deitatis,
Triclinium trinitatis,
Virgo stirpe regia.
7. Salve, lumen beatorum,
Consolatio maestorum
In ista miseria.
8. Salve, salus adffictorum,
Refugium peccatorum,
Mundum replens gratia.
9. Salve, mater generalis,
Advocata specialis
Fidelium in via.
10. Salve, vita devotorum
Laetitiaque sanctorum,
Dulcissima Maria.

- | | |
|---|---|
| <p>11. Gaude, virgo sine sorde,
Munda corporeque corde
Ab omni contagio.</p> <p>12. Gaude, mater singularis,
Incorrupta Deum paris
Cum pudoris lilio.</p> | <p>13. Gaude, vita creatorum,
Redemptio redemptorum,
Imperatrix omnium.</p> <p>14. Gaude, gloria naturae,
Flos et honor creaturae,
Hominum praesidium.</p> <p>15. Gaude, misericordiae
Fons, rivulus clementiae
Dulceque refugium,
Ora pro nobis Dominum.</p> |
|---|---|

Orat. ms. Eberspergense saec. 15. Clm. Monacen. 6058. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19363. B. — Orat. ms. Carthus. Hildesheimen. saec. 15. Cod. Iosephini Hildesheimen. 3 (6). C. — 7, 2 iustorum C. — 9, 3 Fidelis C. — 13, 1 creatoris BC. — 13, 2 redemptoris BC. — 15, 1 Gaude fons misericordiae AB. — 15, 2 Rivulus clementiae AB. — 15, 4 fehlt AB.

32. De beata Maria V.

- | | |
|--|--|
| <p>Ave, stella, o Maria,
Praedicaris vitae via,
O Maria, stella maris,
Complanato nobis callem</p> <p>5. Transituris per hanc vallem,
Ad hoc opus praesignata
Et a Deo nobis data,
Preme pede praevalenti
Caput anguis virulenti,</p> <p>10. Qui felices nos seduxit
Et in mare nos induxit.
Tu Abrahae iam promissa
Et per Iesse nobis missa,
Virga florens, pro duc fructum,</p> <p>15. Qui excludat Evae luctum
Signo virgae sine unda.
Sis honesta mitibus,
Corda nostra tu fecunda
Fronde, flore germinis.</p> <p>20. Mater Dei, Deo plena,</p> | <p>Caro quibus est in poena,
Pravos motus hic refrena.
Et legatus hoc praedicat,
Deum esse tecum dicit,
Te cum fructu benedicit.</p> <p>25. Et tu, vere benedicta,
Exinani maledicta,
Quae donavit mater dicta.
Nos per Evam captivati
Ad poenarum praevia,</p> <p>30. Per te sumus revocati
Ad superna gaudia.
Virgo munda, virgo pia,
Templum Dei, caeli via,</p> <p>35. Dona nobis caritatem
Et cum sanctis unitatem.
Nati tui praesta visum,
Redde nobis paradisum,
Ubi finis est laborum,</p> <p>40. Plenitudo gaudiorum.</p> |
|--|--|

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 40. Et plenitudo. — Das Lied steht in der Hs. an zwei Stellen. An der einen Stelle beginnt es mit Vers 3 Nunc Maria stella, und schliessen sich an dasselbe unmittelbar noch andere unzugehörige Zeilen abweichenden Baues und verschiedenen Inhalts. An der andern Stelle schliesst es mit Vers 32.

33. De beata Maria V.

1. Ave, summi regis nupta,
Ave, parens incorrupta,
Ave, plena gratia.
2. Super omnes o decora,
Reus ego sine mora
Ad te tremens propero,
Dum peccata, quae commisi,
Nec non bona, quae omisi,
Flens ego considero.
3. Ad te curro, quam turbavi,
Quam iniuste laceravi
Horrendis periuriis,
Quam ex corde non amavi
Et quam parum honoravi
Debitis obsequiis.
4. Ad te curro, me peccasse
Recognoscens et errasse,
Ut sis locus veniae,
Me quam dure remordente
Et ad istud impellente
Verme conscientiae.
5. Curro factus non iam durus,
Curro vulnus ostensurus,
Medicantis opera
A te sperans reportare,
Ista cures ergo dare,
Dum requirunt tempora.
6. Dum est recens, vulnus cura,
Ne putrescat et iactura
Causetur desidia;
Vulnus meum est peccatum,
Tu dignare perpetratum
Tua delere gratia.
7. Si peccavi, non excuso,
Unde reum me accuso,
Prosit haec confessio.
.
.
.
8. Haec instanter a te peto,
Ne praeventus forte leto,
Quod absit, ad inferi
Domum mittar, ubi metus,
Ubi dolor est et fletus,
Ubi degunt miseri.
9. Iam plus locus ne molestus
Dici possit vel infestus,
Non permittit ratio;
Misereri potes mei,
In hoc ergo, mater Dei,
Nulla sit dilatio.
10. Tu, cui me non occultavi,
Cui causam revelavi
Meam, mihi filium
Placa tuum hora mortis,
Ut iustorum consors sortis
Sim post hoc exsilium.
11. Dicam tandem illative,
Nil adponens exclusive
Sed includens omnia:
Quia salus es cunctorum,
Sit per tempus saeculorum
Tibi laus et gloria.

Orat. ms. Carthus. Hildesheimen. saec. 15. Cod. Iosephini Hildesheimen. 3 (6). —

34. De beata Maria V.

1. Ave, virga ferens fructum,
Primae matris tollens luctum,
Nobis confer gaudia;
Haec est summi mater Dei,
Quae pudoris virginei
Servat privilegia.
2. Ut vitrum solis radio
Non laeditur nec filio
Matris castimonia;
Decantemus omnes ei,
Corde, voce, quamvis rei,
Laudes et praeconia.

- | | |
|---|---|
| <p>3. Haec est nardus dans odorem,
Cuius odor salvatorem
Traxit ad humilia,
Fons signatus, clausus hortus,
Ex quo Christus est exortus
Corporis praesentia.</p> | <p>6. Voluptatis paradus
Libanusque non incisis
Spirans beneficia,
Cedrus fugans venenata
Haereticorum dogmata
Odoris fragrantia.</p> |
| <p>4. Flos campi atque lilium,
Singularare convallium
Vitae praeminentia,
Humilitate viola,
Mundi continens frivola
Virtutis constantia.</p> | <p>7. Balsamus et cinnamomum,
Ex te sibi fecit domum
Deus creans omnia,
Tu civitas refugii
Spes totius remedii,
Tu caeli porta pia.</p> |
| <p>5. Tu murtus temperantia,
Tu rosa patientia,
Oliva clementia,
Fons hortorum et puteus
Aquaе vivae, non luteus,
Fluens abundantia.</p> | <p>8. Turris, quae nequit deici
A facie inimici,
Diceris, o Maria;
Nunc, virgo venerabilis,
Per te sit excusabilis
Nostra iniustitia.</p> |

9. Ne nos pro nostro vitio
Deputemur supplicio,
Tu, pia, nos libera
Hostis a nequitia,
Ut gaudiis tecum frui,
Nos quaesumus, servi tui,
[Tecum super aethera]
Queamus in gloria.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiection. Scriptt. Eccl. 375. — 5, 1 Tu virtus. — 7, 5 Spes totius saeculi, gegen den sonst beobachteten Reim und die festgehaltene Silbenzahl. — 7, 6 Tu pia porta. — Vielleicht Sequenz.

35. Ad beatam Mariam V.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Ave, virgo gloriosa,
Mater Christi speciosa,
Virgo admirabilis,
Ave, Deum genuisti,
Regem regum peperisti,
Virgo ineffabilis.</p> | <p>3. Ante partum tu fuisti
Et in partu permansisti
Et post partum castitas,
Sponsa Christi, mater Christi
Es et eris et fuisti,
O summa virginitas.</p> |
| <p>2. Te collaudant et angeli,
Te adorant archangeli,
Cives omnes angelici
Te videntes benedicunt,
Procidentes tibi dicunt:
Ave, mater Domini.</p> | <p>4. Assis nobis, virgo pia,
Quae vocata es Maria,
Stella maris rutilans,
Tu pro nobis semper ora
Ad filium sine mora
Veniamque postulans.</p> |

5. Te adiuti gloriemur
Absolutique laetemur
A peccatis omnibus,
Ne Satan cum suis turmis
Nos congreget in extremis
Poenis infernalibus.
6. Ne damnemur cum impiis,
Sed dignis precibus tuis
Valeamus scandere,
Ubi manes cum filio,
Cum patre, cum paraclito,
Cum sacro tuo foedere.
7. Tibi, Christe, sit gloria
Cum matre tua Maria
Hic et in caelestibus;
Hymnus iste sit devotus
Tibi semper atque gratus
In Mariae laudibus.

Orat. ms. Italicum saec. 15. Cod. Londinen. Add. 10826. — 1, 4 Ave, quae Deum. — 4, 5 filium tuum sine. — 5, 2 fehlt eine Silbe; que ergänzt. — „Hanc orationem composuit quidam monachus Claraevallensis, et apparuit ei beata virgo Maria dicens: Si quis hanc orationem semel in die dixerit, apparebo ei in fine suo.“

36. De beata Maria V.

I.

1. Ave, virgo gloriosa,
Paradisi vernans rosa,
Super omnes speciosa,
Dei genetrix Maria.
2. Ave, mundi dominatrix,
Peccatorum liberatrix,
Nobis sis auxiliatrix
Et semper propitiatrix,
Dei genetrix Maria.
3. Ave, consurgens aurora,
Fulgens et aurea hora,
Virgo dulcis et decora,
Pro nobis miseris ora;
Ora semper, semper ora,
Ora regem et implora,
Ut nos ducat sine mora
Ad regna sereniora,
Dei genetrix Maria.
4. Ave, virgo veneranda,
Dulcis semper et amanda,
Prae omnibus collaudanda,
Inter omnes admiranda,
Super omnes exaltanda,
Dei genetrix Maria.
5. Ave, fulgens et praeclara,
Ave, sponsa Dei cara,
Ave, dulcis et benigna,
Ave, super omnes digna,
Dei genetrix Maria.
6. Ave, lucens in praeclaris,
Quae lux Dei appellaris,
Ave, virgo singularis,
Duc nos, ubi delectaris
Sine fine et laetaris,
Dei genetrix Maria.
7. Ave, lumen scientiae,
Lumen intellegentiae,
Decor prudentiae,
Via iustitiae,
Spes salutis, fons veniae,
Mater misericordiae,
Dei genetrix Maria.
8. Ave, lumen veritatis
Et supernae claritatis,
Ave, fons benignitatis
Et immensae bonitatis,
Ave, templum sanctitatis
Et verae humilitatis,
Dei genetrix Maria.

9. Ave, gemma puritatis
Et summae integritatis,
Ave, rosa caritatis
Et lilium castitatis,
Ave, flos virginitatis,
Singularis dignitatis,
Ave, mater pietatis,
Dei genetrix Maria.
10. Ave, fons veri luminis,
Verae beatitudinis,
Vas aureum, vas floridum,
Vas mirae pulchritudinis,
Vas spiritalis gratiae,
Vas caelestis dulcedinis,
Tu regis magni nominis
Mater, tu salus hominis,
Dei genetrix Maria.
11. Ave, templum Salomonis,
Ave, vas electionis,
Vas pulchrae dilectionis,
Lux supernae visionis,
Tu supernis gaudes donis,
Nulla tibi par in thronis,
Dei genetrix Maria.

II.

1. Salve, Dei mater pia,
Salve, virgo, lucis via,
Salve, templum sanctum Dei,
Salve, lumen nostrae spei,
Fulgens aurora diei,
Virga Dei, placens ei,
Miserere huius rei,
Memor esto semper mei,
Dei genetrix Maria.
2. Salve, prae cunctis praelata,
Deoque praedestinata,
A regibus exspectata,
Et diu desiderata,
A patriarchis optata,
A prophetis praedicata
Et mundo praenuntiata,
Salve, feliciter nata,
Mirabiliter creata,
Piis moribus ornata,
Virtutibus decorata,
Prae omnibus Deo grata,
Dei genetrix Maria.
3. Salve, lux candidissima,
Lux caeli serenissima,
Stella fulgens clarissima,
Stellarum splendidissima,
- Margarita purissima,
Lux intima,
Dulcedo suavissima,
Dei genetrix Maria.
4. Salve, virgo piissima,
Salve, dulcissima,
Salve, sanctissima,
Salve, Deo carissima,
Salve, beatissima,
Omni laude dignissima,
Dei genetrix Maria.
5. Salve, nive candidior,
Lacte mundior,
Auro fulgentior,
Gemmis pretiosior,
Caelo purior,
Sole praeclarior,
Luna, stellis splendidior,
Dei genetrix Maria.
6. Salve, splendor mirabilis,
Virtus inenarrabilis,
Post Deum ineffabilis,
O virgo venerabilis,
Super omnes laudabilis,
Tu sis nobis placabilis,
Dei genetrix Maria.

- | | |
|--|---|
| <p>7. Salve, regina caelorum,
Laus angelorum,
Gaudium supernorum,
Via iustorum,
Spes omnium electorum,
Dei genetrix Maria.</p> <p>8. Salve, lumen fidelium,
Lumen humilium,
Lumen lucem quaerentium,
Lumen Deum timentium,
Lumen pium,
Dei genetrix Maria.</p> <p>9. Salve, lux vera mentium,
Vera spes, verum praemium,
Vera pax, verum gaudium,
Vera salus credentium,
Dei genetrix Maria.</p> | <p>10. Salve, pium refugium,
Pietatis incendium,
Dulce remedium,
Caeleste desiderium,
Bonum consilium,
Verum Dei auxilium,
Veni in adiutorium,
Ora pro nobis filium,
Dei genetrix Maria.</p> <p>11. Salve, dulce consolamen,
Nostrum tolle desolamen,
Salve, caeli relevamen,
Aufer a corde velamen,
Salve, pium inspiramen
Caelesteque medicamen,
Sana me, tolle gravamen,
Sentiant tuum levamen,
Qui tuum quaerunt invocamen,
Ad verum Dei solamen
Per te veniamus. Amen.</p> |
|--|---|

III.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Gaude, salus nobis data,
Ab angelo salutata,
Salutando obumbrata,
O vere sanctificata,
O vere illuminata,
O vere glorificata,
Mater Dei es vocata
Et virgo immaculata;
O virgo intemerata,
Tu nostra es advocata,
Tu piis es declarata,
Dei genetrix Maria.</p> <p>2. Gaude, prae cunctis laudata,
Inter omnes admirata,
Super omnes exaltata,</p> | <p>Super sanctos elevata,
Super choros coronata,
Super thronos sublimata,
Dei genetrix Maria.</p> <p>3. Gaude, prae cunctis dilecta,
Gaude, via caeli recta,
Electa et praelecta
Et super omnes electa,
Dei genetrix Maria.</p> <p>4. Gaude, sponsa Dei electa,
Esto nobis via recta,
Ad aeterna gaudia,
Ubi pax est et gloria,
Et nos semper aure pia
Dulcis exaudi Maria.</p> |
|--|---|

Orat. ms. SS. Udalrici et Aefrae saec. 15. Cod. Augustan. s. n. — II. 1, 5 Salve fulgens aurora. — 2, 1 praelata fehlt. — III. 2, 1 Gaude, Dei mater pia, prae cunctis laudata. — An manchen Stellen z. B. I. 7, 3 u. f., am häufigsten in II., erscheint die Silbenzahl des sonst beobachteten Versmaßes nicht erreicht. Nicht selten, wenngleich nicht immer, liefse sich dieser Mangel durch Wiederholung des Grußwortes Ave, salve oder gaude beheben. Hievon ist indes im Texte Umgang genommen, da die Häufigkeit dieser Stellen die Berechtigung der Emendation zweifelhaft erscheinen läßt.

37. De beata Maria V.

- | | |
|---|--|
| 1. Ave, virgo, mater Christi,
Templum salvatoris,
Stella solem genuisti,
Vasculum pudoris,
Nata patrem protulisti,
Medela languoris,
Natum nata peperisti
Nostri conditoris. | 3. Ave, digna praemio,
Verbo fecundata,
Caeli nitens solio,
Gemmis coronata,
Quem lactasti, filio
Proprio dotata,
Tui patris gaudio
Prae cunctis ditata. |
| 2. Ave, virgo, laude plena,
Vita defunctorum,
Sitiendi potus, cena,
Mensa pupillorum,
Pietatis fontis vena,
Via, lux caecorum,
Per te coepit mortis poena,
Finis delictorum. | 4. Ave, florum flos, Maria,
Flos virginitatis,
Docta, prudens, mitis, pia,
Mater bonitatis,
Naufraganti portus, via,
Vena pietatis,
Rosa teste Ieremia,
Gemma venustatis. |

Cod. Oxonien. Digby 166. saec. 14/16.

38. De beata Maria V.

- | | |
|---|--|
| 1. Ave, virgo singularis,
Gemma pudicitiae,
Fluctuantis stella maris,
Fons misericordiae,
Stella, quae, dum solem parit,
Patrem tibi filiae,
Caelo digne coronaris,
Iuncta regi gloriae. | 4. Ave, quies viatoris,
Te sequentis praevia,
Favus intimi dulcoris
Satians praecordia,
Pia mater salvatoris,
Reduce ad caelestia,
Quos antiqui temptatoris
Expulit invidia. |
| 2. Ave, mater gloriosa,
Verbi Dei cellula,
Tota pulchra et formosa,
Tota sine macula,
Tu es lilium et rosa,
Rectrix in navicula,
Qua transimus procellosa
Saeculi pericula. | 5. Ave, decor firmamenti
Sidusve errantium,
In salutem paenitentium
Tu stagnum probaticum,
Tu es arca testamenti
Portans manna caelicum,
Quo pascuntur in praesenti
Corda tibi supplicum. |
| 3. Ave, nubes matutina,
Roris stillicidium,
Quibus gratia divina
Poros pluit cordium,
Imperatrix et regina
Caeli, terrae, marium,
Serva vitam a ruina
Tibi supplicantium. | 6. Ave, templum trinitatis,
Pudoris signaculum,
Plenitudo caritatis,
Miseris umbraculum,
Solve salvans a peccatis
Istum tuum populum,
Pro quo Iesus Christus gratis
Subiit patibulum. |

7. Ave, quam praeconizavit
Prophetarum contio,
Quam scriptura praesignavit
Omnis ab initio,
Rubus, quem consideravit
Moyses [in invio],
Tuum partum praemonstravit
Sui non incendio.
8. Ave, templum Salomonis,
Sed non manu conditum,
Turris vallis visionis,
Castrum muris insitum,
Leva signum unionis
Gratiae ad spiritum,
Ut hostilis stationis
Terreas exercitum.
9. Ave, quae, dum credidisti
Caelesti spiritui,
Incorrupta concepisti
Dei parens nutui;
Ergo, mater Iesu Christi,
Confer opem coetui,
Cuius causa meruisti
Hoc honore perfrui.
10. Ave, per quam est collata
Prophetia puero,
Ut te voce non prolata
Salutet in utero,
Ut Elisabeth, adflata
Flatu salutifero,
Dei matrem est testata
Te clamore libero.
11. Ave, genetrix effecta
Nullo viri foedere,
Sola virgo praelecta
Sine poena parere,
Luna de te nube tecta,
Sol prodit de sidere,
Luna, inquam, sed perfecta,
Nesciens deficere.
12. Ave, virgo, de qua natus
Deus verus creditur,
Idem creans et creatus,
Actor est et agitur,
- In praesaepe reclinatus
Pannis circumcingitur,
Sed in caelis adoratus
Sine fine colitur.
13. Ave, quam honorant reges
Mysticis muneribus,
Suos dum observant greges,
Cognita pastoribus,
Quae cum veteris non eges
Legis baptismatibus,
Sponte tamen imples leges,
Non ligata legibus.
14. Ave, decus mulierum,
Quae in templo Dominum
Obtulisti, lumen verum,
Salvatorem hominum,
Et nunc populum et clerum
Salva, virgo virginum,
Dans in ultimo dierum
Veniam peccaminum.
15. Ave, quae Iesum infantem
Cum dolens quaesieras,
Invenisti disputantem
Non edoctum literas,
Tuum populum peccantem,
Quaesumus, ne deseras,
Sed requirens aberrantem
Tecum caelo transferas.
16. Ave, per architriclinum
Invitata nuptiis,
Ubi fecit aquam vinum
Christus in conviviiis,
Color aquae in citrinum
Transit sine mediis,
Tua fide fit divinum
Opus hoc in hydriis.
17. Ave, videns tui nati
Flagellari latera,
Videns et in cruce pati
Mortis dira vulnera,
Aperitur dum rimati
Pectoris pars dextera,
Aqua, sanguis dirimati
Nostra lavant scelera.

18. Ave, fidem quae sustentas
Passionis triduo
Hancque sola repraesentas
Fervore continuo,
Modo haereses inventas
Sic elide denuo,
Ut has fides turbulentas
Devitet perpetuo.
19. Ave, laeta versa vice,
Quando nostri generis
Salus manu cum victrice
Rediit ab inferis,
Unde patet cicatrice
Visa sui lateris,
Quod pro plebe peccatrice
Poenam tulit funeris.
20. Ave, videns corpus idem
Factum impassibile,
Quod de te assumpsit pridem,
Scandens caelum agile,
Creatori tale quidem
Competit mirabile,
Non natura, sed per fidem
Cuiquam credibile.
21. Ave, caelos quae transcendis
Singulos per ordinem,
Dei donec apprehendis
Throni celsitudinem,
- Ubi ingiter intendis
In eius imaginem,
Quem pro nobis redimendis
Genuisti hominem.
22. Ave, quae iam Deo plena,
Sed modo plenissima,
Quondam particeps in poena,
Nunc regnanti proxima,
Nostra canit te camoena,
Laudat vox et anima,
Quia tu es vitae vena
Laudeque dignissima.
23. Ergo, pia mater Dei,
Laudes has suscipito,
Quas innixus de te spei
Reus tibi recito,
Me reatus rodunt mei
Cordis in abscondito,
Sed medelam huius rei
Ratus te recogito.
24. Credo namque, quod non perit,
Qualiscunque fuerit,
Qui commissa fiendo terit
Et peccare deserit,
Sed si te devote quaerit
Tuique meminerit,
In aeternum salvus erit
Nec perire poterit.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. 14/15. — 7, 6 Ergänzen in invio? —
12, 4 Auctor; die Form actor fordert das Wortspiel; est fehlt.

39. De beata Maria V.

1. Ave, virgo singularis,
Mundi portus salutaris
Singulari gloria,
Porta solis orientis,
Orbis sidus occidentis
Speciali gratia.
2. Paradisus voluptatis
Thalamusque castitatis,
Cella pigmentaria,
Hortus clausus, fons signatus,
Ager florens, irrigatus
Spiritali pluvia.
3. Rorans vellus Gedeonis
Ferculumque Salomonis,
Angelorum gloria,
Domus Dei, quam fundavit,
In qua thronum collocavit
Patris sapientia.
4. Ave, rosa spina carens,
Virga Iesse, virgo parens,
Viri tamen nescia,
Tu, regina, regem paris,
Cuius sola nuncuparis
Sponsa, mater, filia.

5. Stella caeli, cuius ortus
Nos ad vitae traxit portus
Post mundi naufragia,
Paradisí tu fenestra,
Non quod tuos feras extra,
Sed intra palatia.
6. Tu specular verae lucis,
Quae ad veram lucem ducis
Nostrae noctis taedia;
Ave, sidus matutinum,
Fletum tergens vespertinum,
Dans post luctus gaudia.
7. Deitatis sacramentum,
Novae legis argumentum,
Vitae pandens atria,
Carta Dei, quam inscripsit,
In qua verbum suum scripsit
Patris providentia.
8. In qua verbum substantivum
Fecit pater adiectivum
Adiecta substantia,
Lectus rosis praeparatus
Et multorum candidatus
Liliorum copia.
9. In quo sibi copulantur
Et se simul osculantur
Christus et ecclesia,
Novum genus nuptiarum,
In quo nova naturarum
Parantur coniugia.
10. Ave, mater, virgo tamen,
Quam fecundat verbo flamen
Non viri materia,
Ergo rivus parit fontem,
Virga cedrum, vallis montem
In magnificentia.
11. Flos pudoris, non efflorens,
Cedrus alta, palma florens,
Vallis gignens lilia,
Flagrans domus unguentorum,
Aula Dei, divinorum
Secretorum conscia.
12. Mirus odor in hac domo,
Plena ture, cinnamomo
Omnique fragrantia,
Ergo, nostri mediatrix,
Nostra salus et salvatrix,
Nobis sis propitia.
13. Nos abiectos pro peccato,
Nata, patri, mater, nato
Clementer concilia,
Via vitae, duc ad portum,
Stella maris, duc ad ortum
Per tot maris devia.
14. Dulcis mater Iesu Christi,
Quae Satanam devicisti
Miranda potentia,
Nato iube, regem ora,
Ut peccati sine mora
Nobis detur venia.

Orat. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Parisin. 18571.

40. De beata Maria V.

1. Ave, virgo, stella maris,
Ave, mater expers maris,
Sola parens patrem parís
Fecundata caelitus.
Salve, virgo, spes reorum,
Salve, mater, spes lapsorum,
Per quam mundo rex caelorum
Illuxit humanitus,
Miserere peccatorum
Consolando gemitus.
2. Gaude, virgo generosa,
Gaude, mater gloriosa,
In hac valle procellosa
Nobis esto praevia.
Vale, virgo, sponsa Christi,
Vale, mater, quae dedisti
Et lac illi praebuisti,
Per quem vivunt omnia,
Per Christum, quem genuisti,
Trahe nos ad gaudia.

3. Amen dicat, qui mendicat
In hac valle flebili,
Ut solamen et iuvamen
Plebi detur humili.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Nach 1, 8 Miserere miserorum. — 3, 3 Et solamen.

41. De beata Maria V.

1. Ave, virgo, verbi mater,
Quam signavit Deus pater
Suo sancto flamine;
Ave, virgo, virga Iesse,
In qua Deus coepit esse
Sub carnis velamine.
2. Ave, lampas veri solis,
Nova mater novae prolis,
Castitatis lilium;
Ave, virga nusquam arens,
Per quam suum Deus parens
Mundo misit filium.
3. Ave, mutans nomen Evae,
Per quam nobis iugum leve
Christi dedit veritas;
Ave, per quam lux est data,
Per quam nobis dulcorata
Legis est austeritas.
4. Ave, virga veri turis,
Per quam sumus nostri iuris
Dei dante gratia;
Ave, mater benedicta,
Partu cuius est devicta
Mortis contumacia.
5. Ave, lumen fundens mundo,
Quod nos traxit de profundo
Ex lacu miseriae;
Ave, parens summi floris
Et superni plena roris
Virtutum congerie.
6. Ave, mater pietatis,
Quam laudare nemo satis
Vel potest vel potuit;
Ave, certa spes salutis,
Per quam luce destitutus
Vera lux innotuit.
7. Ave, deitatis arca,
Quam creator patriarcha
Clausit et aperuit;
Ave, caeli lux et terrae,
Summam lucem digna ferre,
Quae te non deseruit.
8. Ave, navis institoris,
Portans manna peccatoris
Et panem angelicum,
Ave cella summi regis,
Dans de botro priscae legis
Nectar evangelicum.
9. Ave, castrum Bethaniae,
Marthae domus et Mariae,
Ut castrorum acies;
Ave, mater nostrae spei,
Per quam nobis verbi Dei
Visa carne facies.
10. Ave, summi regis thronus,
In qua Deus summe bonus
Incarnari voluit;
Ave, parens sine pari,
Per quam mortem captivari
Vetus hostis doluit.
11. Ergo nobis, mater pia,
Sis in huius vitae via
Dux et consolatio,
Ut post huius vitae statum
Videamus tuum natum
In caeli palatio.

42. De beata Maria V.

1. Ave, virgo virginum,
Decus castitatis,
Ave, salus hominum,
Mater pietatis,
Ave, sidus lucidum,
Sidus claritatis,
Flos cuius dat floridum
Florem defloratis.
2. Ave, candens lilium,
Nostra spes, Maria,
Ave, dulce gaudium,
Veritas et via,
Salus, spes, remedium,
Gemma, lux, sophia,
Mihi des auxilium,
Voce posco pia.
3. Ave, domus regia,
Porta salvatoris,
Mater atque filia
Summi creatoris,
Ave, mundi claritas,
Ave, flos odoris,
Ave, casta castitas,
Casti fons amoris.
4. Ave, virgo pariens
Natum absque pari,
Ex te fulgor oriens
Dignus exaltari,
Ave, fovens gremio
Florem puellari,
Cuius mundus pretio
Meruit salvari.
5. Ave, mater caelica,
Sumens illud Ave,
Quod tulit angelica
Tibi vox suave,
Ave, plena gratia,
Stella maris, ave,
Assit tua gloria,
Meis votis fave.
6. Ave, flos clementiae,
Ave, fulgor stellae,
Ave, pudicitiae,
Ave, flos puellae,
Ave, mater regia,
Mala mea pelle,
Tua sunt officia
Dulciora melle.
7. Ave, dulce lilium,
Rosa sine spina,
Ave, dans auxilium
Et caeli regina,
Ave, mater gloriae,
Mater et divina,
Ave, lux iustitiae,
Stella matutina.
8. Ave, virgo florida,
Mater pupillorum,
Ora tuum filium
In choro suorum,
Ave, gemma splendida,
Virtus miserorum,
Ut me cum familia
Collocet sanctorum.
9. Ave, decus virginum,
Audi me clamantem,
Audi, salus hominum,
Audi me precantem
Teque tuum filium
Audi me clamantem,
Sic et in perpetuum
Ave decantantem.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 917. — 1, 7 fehlt eine Silbe; dat ergänzt. — 8, 7 Ut me tuum famulum. — 9, 5 Tuum teque filium.

43. De beata Maria V.

1. Ave, virgo, virtutis speculum,
Salomonis thronus et ferculum,
Salva, rege fidelem populum
Et extolle usque in saeculum.
2. Benedicta Mariae viscera,
Caput, manus, pectus et ubera,
Crura, pedes et membra cetera,
Quae gestarunt regentem supera.
3. Ave dicunt caelorum numina,
Ave, mater, virtutum domina,
Ave semper, perfelix femina;
Per te nostra replentur culmina,
Per te mundi delentur crimina,
Tuas laudes et tua carmina
Nulla potest portare pagina.
4. Benedicta tua progenies,
Benedicta sit tua facies,
Benedicta tua caesaries,
Totum corpus et tota species;
Te saluto in die centies,
Flecto genu in nocte sexies,
Benedicta sis mille milies.

Orat. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Meten. 571. — 4, 6 Et flecto te genu in.

44. De beata Maria V.

- | | |
|--|---|
| 1. Beata Dei genetrix,
Virgo inaestimabilis,
Te spem meam constituo,
Me tibi servum offero. | 3. Praesta mihi subsidium,
Dum hoc relinquo saeculum,
Et cum recedet spiritus,
Meis adesto precibus. |
| 2. Fide tua me suscipe,
Nato tuo restitue,
Mea infelix anima
Non sit in fine perdita. | 4. Nam te orante, domina,
Sanctorum surgent milia,
Si tu sola tacueris,
Vox erit nulla ceteris. |
| 5. Noli silere, domina,
Esto mihi propitia,
Cunctis locis me protege,
In viam pacis dirige. | |

45. De beata Maria V.

- | | |
|--|---|
| 1. Benedicta
regina virginum,
In qua sine
concurso seminum
Homo verus
fit factor hominum. | 2. Virgo viri nescia,
Parens expers paris,
Tu filii filia,
Nata patrem paris,
Ad filium praevia
Duc nos, stella maris. |
| 3. Cordis amor, oris clamor
Matrem laudet, per quam gaudet
Omnis homo se de domo
Servitutis ad salutis
Statum renovatum. | |
| 4. Stirpe David genita,
totum me, virgo, tibi do,
Per te sit domita
dominans in carne libido. | 6. Virgo Maria, ave,
misero, qui te rogat a vae,
Orantique fave,
qui tibi mittit ave. |
| 5. Eva, parens saeva,
fundens in prole sua vae,
Illud ave suave,
per quod convertitur Eva. | 7. A me tolle grave
peccati pondus et a vae
Illi, virgo, cave,
qui tibi mittit ave. |

Cod. Duacen. 355. (ol. Marchianen.) saec. 14. — Ob vorstehendes ein ursprüngliches Ganze oder ob mit Str. 4 ein zweites Gedicht beginnt, erscheint zweifelhaft.

46. De beata Maria V.

- | | |
|--|--|
| 1. Bonitatis
totius femina,
Sancta virgo,
caelorum domina,
Quae nos premunt,
dissolvens crimina,
Nostra clemens
audi precamina. | 3. O aeterna
salus credentium,
Caro nitens
magis quam lilium,
Sicut turis
est odor vestium,
Os dulcius
quam favus mellium. |
| 2. O regina
caelestis curiae,
Dignitatis
et excellentiae,
Per te nobis,
o mater veniae,
Remittatur
pondus nequitiae. | 4. Si gens omnis
in unum coeat
Laudes fari
tuasque studeat,
Ferri quisque
si linguam habeat,
Nunquam dicet,
quantum oporteat. |

5. Tua rosam
superat facies,
Columbarum
luminis acies,
Nulli rei
tam pulchra species,
In te splendet
carnis materies.
6. Flos rosarum,
lux orbis inclita,
Stella maris
fulgore praedita,
Per quam salus
est mundo reddita,
Ad salutem
sis nobis semita.
7. Te nascente
lux ingens oritur,
Tenebrarum
minister laeditur,
Ululando
de te conqueritur,
Triumphante
nato convincitur.
8. Gemma, sidus
splendoris nimii,
Luna fulgens
immensi radii,
Desolatis
plena spes gaudii,
Portus nobis
sis refrigerii.
9. Nulli ante
tua natalia
Tanta fuit
data potentia,
Te nascente
venit victoria,
Nobis autem
summa laetitia.
10. Per te nobis
spes attribuitur,
Infernorum
limes destruitur,
- Peccatorum
culpa remittitur,
Et caelestis
palma promittitur.
11. O salvatrix
humani generis,
Interemtrix
totius sceleris
Gaude, virgo,
quae tanti muneris
Donatrix es
et portus miseris.
12. Gaude, mater,
tuoque gaudio
Nos colloca
precis auxilio,
Salvatori
concordans filio
Nos sanctorum
iunge consortio.
13. Benedicta
tua conceptio,
Benedicta
Christi progressio,
Crux, sepulcrum
et resurrectio,
Benedicta
eius ascensio.
14. Benedictus,
qui fecit sidera,
Mare, terram
et quaeque cetera,
Qui se clausit
in tua viscera,
Ut locaret
nos super aethera.
15. Benedictus
natus puerperae,
Qui redemit
membrorum vulnere
Pro parentis
damnatos scelere,
Qui lugebant
aeterno carcere.

16. Sancta parens,
 nostra redemptio,
Spes miseris
 et relevatio,
Per te nobis
 fiat remissio,
Ne Satanae
 vincat illusio.
17. O regina,
 decus caelestium,
Miserorum
 spes et refugium,
O adiutrix
 te deprecantium,
Tuum ora
 pro nobis filium.
18. Flos candoris,
 flos pulchritudinis,
Non marcescens
 prae vento turbinis,
Turris nobis
 sis fortitudinis,
Ne mergamur
 antro formidinis.
19. Qui pugillo
 mundum complectitur,
Virginali
 ventre concluditur,
O quam laeta
 mater efficitur,
A qua tantus
 infans concipitur.
20. Nulla stella
 fulgoris radium
Tantum tulit
 per orbis spatium,
Nam stellarum
 rerumque omnium
Lumen profers,
 cum paris filium.
21. Cum te caeli
 suscepit curia,
Angelorum
 gaudet militia,
- Quantus plausus,
 quanta laetitia,
Nulla capi
 potest scintia.
22. Tibi, virgo,
 laetantur omnia,
Gaudet Deus,
 gaudet ecclesia,
Gaudet homo
 ductus ad propria,
Sed infernus
 agit suspiria.
23. Ave, mater
 misericordiae,
Pietatis
 et indulgentiae,
Ora natum,
 qui fons est veniae,
Ut nos dono
 confirmet gratiae.
24. Decus orbis,
 sublimis femina,
Placa nobis
 tonantis numina,
Creaturae
 totius domina,
Tuae plebis
 audi precamina.
25. Pia virgo,
 pro peccatoribus
Es locata
 in caeli sedibus,
Recordare
 hoc te precantibus,
Subvenire
 prompta fidelibus.
26. Humanarum
 rerum condicio
Est attrita
 culpaе naufragio,
Sed tu, mater,
 tuo suffragio
Supernorum
 iunge consortio.

27. Prophetarum
praedicta carmine,
Exspectabant
sub mundi cardine
Res in suo
deformes ordine
Relevari
tuo iuvamine.

28. Te caelestis
exspectans curia
Exspectabat
tua natalia,
Nam per tua,
virgo, suspiria
Restauratur
eius militia.

29. Sicut rosa
de spinae germine
Nascens ornat
hanc pulchritudine,
Sic in tuae
gentis origine,
Virgo, nites
virtutum semine.

30. Virgo, gaude,
mater fidelium,
Orphanorum
salus, refugium,
Per quam culpa
deletur omnium,
Sempiternum
da nobis gaudium.

31. Auxilio
succurre celeri,
Nostro finem
imponens sceleri,
Ut de nostra
salute superi
Gratulentur,
ululent inferi.

32. Pulchra luna,
sidus eximium,
Solis vincens
fulgore radium,

Audi preces
te invocantium,
Sine mora
praebe auxilium.

33. Ave, mater
immensi pueri,
Benedictus
sit fructus uteri,
Qui destruxit
catenas inferi,
Quibus erant
oppressi miseri.

34. Arbor sancta,
plena virtutibus,
Liliorum,
rosarum floribus,
Quae dedisti
fructum fidelibus,
Ex quo vita
donatur omnibus.

35. Eva dedit
cunctis exsilium
Paradisi
excludens gaudium,
Reserasti
caeli palatium
Castitatis
per privilegium.

36. Salve, iubar
caelestis sideris,
Per quam patet
lux orta miseris,
Ordinibus
praelata superis,
Esto nobis
ductrix itineris.

37. Lux solaris,
lumen fidelium,
Salus ad te
confugientium,
Virgo sancta,
salvatrix omnium,
Caeli nobis
dona consortium.

38. Audi nostram
 vocem, piissima,
Virgo mitis
 et clementissima,
Delictorum
 vi pressi maxima
Te precamur,
 sanctorum optima.
39. Dei mater,
 o virgo virginum,
Quae portasti
 salutem hominum,
Vera cunctis
 spes medicaminum,
Nos expurga
 a labe criminum.
40. In te, virgo,
 spes nostra ponitur,
Per quam daemon
 ex toto vincitur,
Nam illius
 caput conteritur,
Tuo pede
 captivus premitur.
41. Erubescit
 humani generis
Hostis nequam
 et auctor sceleris,
Qui coniunctus
 primum cum superis
Lapsus ruit
 in ima carceris.
42. Et tu, virgo,
 laetare maxime,
Quae sic thronum
 sedis altissimae
Es adepta
 vivens humillime,
Hostes nostros
 potenter comprime.
43. Miraculum
 magnum ostenditur:
Terra surgit,
 spiritus labitur,
- Illa gaudet,
 iste confunditur,
Illa vivit,
 et iste moritur.
44. Stella micans
 plena fulgoribus,
Viam praebens
 te intuentibus,
Emundatos
 culparum sordibus
Nos catervis
 iunge caelestibus.
45. Virgo sancta,
 quae non ex semine
Concepisti
 sed sancto flamine
Iesum Christum,
 sanctorum agmine
Nos colloca
 tuo iuvamine.
46. Virga Aaron,
 quae tabernaculo
Floruisti
 tanto miraculo,
Fructum praebens
 captivo saeculo
Vitam tuo
 largire populo.
47. Virga Iesse,
 regali genere,
Cuius gaudet
 redemptus munere
Totus mundus,
 in Christi vulnere
Vitam velis
 nobis acquirere.
48. Deprecare,
 sanctorum gaudium,
Tuum, sancta
 puella, filium,
Ut nos iungat
 gregi caelestium
Bonus pastor
 sanctorum ovium.

49. Mater, ope
succurre celeri,
Ne inferni
tradamur carceri,
Ut possimus
beati fieri,
Caeli nobis
ianuam aperi.
50. Nulla mala
in te cupiditas,
Nulla prorsus
laesit hostilitas,
In te mansit
perfecta sanctitas,
Vera fides
et vera caritas.
51. Plenitudo
divini muneris,
Quae per partes
praestatur ceteris,
Venit in te,
virgo, spes foederis,
Sicut imber
in lana velleris.
52. Nulla tibi
virtutum defuit,
Quarum in te
rex domum posuit,
Te caelestis
doctrina docuit,
Salvatoris
ut matrem decuit.
53. Novum quiddam
in mundo cernitur,
Nam de stella
sol fulgens oritur,
Tenebrarum
horrori ponitur
Finis, via
caelorum panditur.
54. Creatura
totius ordinis
Te fatetur
immensi nominis
Sublimatam
in throno numinis
Sine fine
beatitudinis.
55. Porta caeli
per Evam clauditur,
Gens humana
tormentis traditur,
Per te, virgo,
libertas redditur,
Et caeleste
regnum conceditur.
56. Hostis telo
livoris figitur,
Cum in caelum
plebs tua ducitur,
Vulnerando
maestus atteritur
Et de tuo
posse conqueritur.
57. Inde plaudit
caelestis curia
Exsultando
pro tua gloria,
Laudans Iesum,
qui fecit talia,
Admirando
eius magnalia.
58. Nostris, virgo,
faveto vocibus,
Angelorum
nos iungens coetibus,
Ut laudantes
te magnis plausibus
Exsulemus
cum sanctis omnibus.
59. Sanctitatis
ornata moribus,
Praemunita
virtutum floribus,
Virgo decens
et digna laudibus,
Creatoris
refulgens opibus.

60. Totam, virgo,
te sapientia
Perlustravit
sua potentia,
Cum descendit
divina gratia
In te monstrans
sua magnalia.
61. Carnem in te
cum Christus induit,
Nihil in te
tunc boni defuit,
Virginitas
tua sic floruit,
Creaturae
quod omni profuit.
62. Virgo, tuo
redempti munere
Non cessamus
psallendo reddere
Grates tibi
pro tanto foedere,
Quo nos Christus
dignatur visere.
63. Natos tuos,
o mater, libera,
Virgo manens
Christi puerpera,
Ne nos damnet
inferni vipera,
Quae in multos
exercet scelera.
64. Iamque tui
sumus nos filii,
Quos de luctu
trahens exsilii
Reduxisti
ad plausum gaudii
Per angelum
magni consilii.
65. Virgo manens
et mater regia,
Te beatam
fatentur omnia,
- Meritorum
tot privilegia
Explicare
nequit ecclesia.
66. Angelorum
laudata modulis,
Universis
miranda populis,
Virgo cunctis
praelata saeculis,
Vitam tuis
acquire servulis.
67. Delictorum
compressa pondere
Mens humana
nequit sufficere,
Laudes tuas
ut possit dicere,
Quae nos ditas
divino munere.
68. Tu salutem
humano generi
Edidisti
de claustro uteri,
Per te, virgo,
vincuntur inferi,
Per te gaudent
in caelo miseri.
69. Cum creata
rex benediceret,
Tunc providit,
quod in te fieret
Deus homo,
qui nos redimeret
Et aeternos
in bono faceret.
70. Benedixit
in te tunc omnia,
Ex qua salus
et beneficia
Processerunt
et vera gaudia,
Paradisi
portus et gloria.

71. Quid dicemus
defecti viribus
Et compressi
delictis gravibus?
Si res omnes
resonent vocibus,
Tuis victae
succumbent laudibus.

72. Laudes tuae
momenta temporis
Et arenas
excedunt aequoris,
Renovatis
da vires corporis
Sensum mittens
in arcam pectoris.

73. Bonum nobis
confer ingenitum,
Ut possimus,
virgo, spes omnium,
Te laudare
tuumque filium
Et habere
caeli consortium.

74. Peccatorum
nos terge macula,
Nostra prece
tonantem sedula,
Ut nos sua
sustentans ferula
Vitae donet
caelestis pabula.

75. Nostrum decus
et nostrum gaudium,
Virgo sacra,
candoris lilium,
Rosa vernans
et potens omnium,
Sedem dona
nobis caelestium.

76. Eva dedit
pomum mortiferum,
Ex quo mundus
se sensit miserum,

Superasti
factorem scelerum,
Fructum vitae
dans salutiferum.

77. Quid valeret
nostra fragilitas,
Quam decepit
hostis caliditas,
Nisi esset
tua humilitas,
In qua sumpsit
carnem divinitas?

78. Ecce, pulchrum
bellum componitur,
Inter Satan
et te configitur,
Sed captivus
ille vincitur,
Et pars tua
victrix efficitur.

79. Victrix gaudes,
et victus ululat,
Dolor eius
in dies pullulat,
Inde caelum
exsultans iubilat,
Plausum vero
mundus adcumulat.

80. Evam nequam
hostis admonuit,
Unde genus
humanum doluit,
Adam miser
in culpam corrui,
Dum praeceptum
servare noluit.

81. Ut per Evam
nostra perditio,
Sic per te fit
nostra redemptio,
Ut per Adam
mortis illatio,
Sic per Christum
fit restauratio.

82. Te laudare
beatam cupimus,
Sed in laude
tua deficiamus,
Sensus noster
adhuc est minimus,
Cum nos de te
tanta conspicimus.
83. Nam si mundus
pagina fieret,
Et res omnis
in ea scriberet,
Laudes tuas
non comprehenderet,
Quia tot sunt,
quod non sufficeret.
84. Ergo quantum
mouet inuidia
Hostem saevum,
qui pro superbia
De supernis
lapsus in vilia
Vilis factus
est super omnia,
85. Cum te cernit
praelatam omnibus
Et se videt
mersum foetoribus!
Quantis, putas,
movetur tristibus,
Nobis nocens
in cunctis actibus?
86. Sed succurre
nobis celerrima,
Ne nos damnet
pars impiissima,
Argumenta
quae fraudum plurima
Tendit multos
ducens ad infima.
87. Benedicta
in mulieribus,
Te rogamus
immensis precibus,
- Ne nos claudat
infernī faucibus
Daemon, suis
obsiste fraudibus.
88. Quando potest
quemquam decipere,
Tunc laetatur
pro tanto scelere,
Noli, pia
virgo, concedere,
Plebem tuam
quod possit laedere.
89. Tueatur
nos tua dextera,
Qua donabas
panem et cetera
Tuo nato,
qui rerum genera
Creavit reg-
nans super aethera.
90. Totus orbis
est tibi subditus,
Opem illi
confer divinitus,
Ne nos laedat
poenalis exitus
Nec malignus
infernī spiritus.
91. Super tua
plebe non gaudeat
Tuus hostis,
sed magis doleat,
Tua nobis
virtus praeualeat
Et in bono
semper nos teneat.
92. Theophilus,
o mater veniae,
In foveam
lapsus malitiae
Argumentis
misericordiae
Tuae nobis
adest potentiae.

93. Virtus nostra
iam paene deficit,
Saxa fraudis
et hostis obicit,
Mentem nostram
in multis inficit,
Gaudens cum nos
adfectos conspicit.
94. Tu illius
destrue gaudium
Donans nobis
Christi consortium,
Ut lugeat
inventor fraudium,
Et tu salves
gregem fidelium.
95. Tuam, mater,
serva ecclesiam
Omnem pellens
ab hac tristitiam,
Sempiternam
praebe laetitiam
Ad sanctorum
conducens gloriam.
96. Huius laudis
quisquis memoriam
Celebrabit
poscendo veniam,
Tu fac illi
misericordiam
Beatorum
donando gratiam.
97. Et nos tibi,
virgo, consocia,
Ut gaudentes
in tua gloria
Coram summi
patris praesentia
Decantemus
eius magnalia.
98. Trinitati
sit laus, potentia,
Honor, virtus
et excellentia,
Tibi, virgo,
summa laetitia,
Nobis autem
perfecta gloria.

Orat. ms. Caelestin. saec. 15. Cod. Parisin. 18571. — 4, 3 Laudesque tuas fari. — 77, 1 nostra humilitas. — Eine kürzere Fassung dieses Liedes findet sich Anal. VI, 53 ff. Dieselbe ist wohl aus den WW. Ulrich Stöcklins zu streichen.

47. Oratio ad beatam Mariam V.

1. Clemens et dulcissima regina caelorum,
Humanum praesidium, solamen dolorum,
Spes post Deum unica, sis memor tuorum
Et fac, ut in numero simus salvandorum.
2. Sis nostra protectio, mater illibata,
Fac, ut vita nostra sit nato tuo grata,
Et per te nos societ angelorum choris,
Qui nos emit pretio proprii cruoris.
3. Cunctorum peccaminum nobis impetrare
Apud Deum veniam, domina, dignare,
Cum Christus voluerit hinc nos transmigrare,
In caeli palatio fac nos habitare.

48. De beata Maria V.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Cor ad instar philomenae
Gaudens amet et amoene
Laudet matrem Domini,
Sonent voces ut sirenae,
Modulentur et serенаe
Solvant laudes virgini.</p> <p>2. Haec est porta paradisi,
Vas virtutis, vas obrizi,
Manna servans caelicum,
Haec est arca testamenti
Continentis et contenti,
Typum gerens mysticum.</p> <p>3. Haec est rosa puritatis,
Lilium humilitatis,
Epicinum gratiae,
Haec est fomes caritatis,
Fons et rivus puritatis,
Antidotum veniae.</p> | <p>4. Haec est summa sanctitatis,
Summo gradu dignitatis
Mater regis gloriae,
Haec est decus honestatis,
Post decorem deitatis
Decor caeli curiae.</p> <p>5. O caelestis philomena,
Vernans, amans et amoena
Dilecti phylacium,
O paradisi sirena
Mente modulans serena
Seraphinum gaudium!</p> <p>6. Stella maris, Maria,
Portus paris nescia,
Sola spes post filium,
Tu transfer duce gratia
Nos ad beata gaudia
Post carnis exsilium.</p> |
|--|--|

Cod. Trece. (ol. Claravallen). 1612. saec. 15. — 3, 3 Epycinum. —
5, 3 phylorticum. — Der Haltang nach vielleicht Sequenz.

49. Ad beatam Mariam V.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Cum iubemur et tenemur
Deum in sanctis colere,
Matris laudem praeter fraudem
Nos decet eius molere
Molis oris cunctis horis,
Nam laudum est dignissima,
Vas honoris, flos pudoris
Et stella lucidissima.</p> <p>2. O Maria, pyxis pia
Apothecae caelicae,
Ex qua dia theoria
Ceu fecit angelicae
Mellicatum zinzibratum
Incarinati filii,
Cuius dosis plus est rosis
Et fraglans odor lillii.</p> <p>3. Tu divina medicina,
Virgo benigna, crederis,
Nam syropum et hysopum
Novi ministras foederis,</p> | <p>Apothecae sine faece
Vas pulchrum sine macula,
Da claretum cordi letum
Livoris absque facula.</p> <p>4. Tu languores et errores
Aufer, apothecaria,
Ad medendum et delendum
Hos fer electuaria,
Unguentorum sanandorum
Vas aperi, cellaria,
Aegrotorum devotorum
Ut curetur lipparia.</p> <p>5. Nos inflexat et invexat
Febrilis castrimargia,
Apoplexat et convexat
Corporalis letargia,
Hos rigores et tremores
Rosarum encathismate
Molli, mitis virgo, litis,
Nos et ab omni schismate.</p> |
|--|--|

6. O, piatis fove gratis
Legis et aporimate
Ac obscura cordis dura
Madcensc epitimate,
Spei satis, caritatis
Ac fidei colliriis
Tuos vernas hic gubernas
Et a falsis suspiriis.
7. Omencastrum, fac emplastrum
Nostrae mentis vulneribus,
Cura spasmum et thenasum
Noxae tuis muneribus,
Nos praeservet et conservet
Clementia tis nimia,
Ne succidat et collidat
Nos celer epidimia.
8. Sion nata, salve, grata,
Confectum, philanthropos,
Post te gyrat et suspirat
Gemens et flens anthropos,
Te honorat et implorat
Christicolarum natio
Et exorat, ut his rorat
Caeli dulcis potatio.
9. Tibi iunge, quos et unge
Cum oleo rosaceo,
Quos hic munge et compunge
In huius vitae spatio,
Ut purgemur et curemur
Ab omni peste criminis,
Quod vocemur et locemur
In arce caeli luminis.
10. Cum clysteri tu severi
Cordis purga serpiginem,
Esu lata dosi grata
Sanans mentis vertiginem,
Tu guttosis, calculosis
membra madescas horrida,
Ne brancosis tremulosi
Gutta notescat torrida.
11. Nam egentes et degentes
Peccati nos disuria
Nimis urget atque turget
Omnis boni xemiria,
Linitivo quodam divo
Aufer omnem lentiginem,
Mentis nigrae atque pigrae
Poli cunctam rubiginem.
12. A morbillis et scintillis
Muni nos herisipilae,
Cladis fortis atque mortis
Ne nos captent decipulae,
Tu staporem et tremorem
Aufer a podagricis,
Operandi quoque dandi
Vim confer chiragricis.
13. Mel rosatum, degustatum
Circa dilectum filium,
Impertire nobis mire,
Mater, post hoc exsilium,
Ut utamur et fruamur
Zuccarae fiolatio,
Panis vitae sine lite
In caelesti palatio.
14. O Maria, virgo pia,
Tolle meas aporias,
In hac via dextra dia
Mis cordis purgans scorias,
Impolitae, maestae vitae
Quod post huius stadium
Cernam statim oculatim
Scepترینentis radium.
15. Mater lustris, me perlustris,
Cum medicina satia,
Ne palustri seu amplustri
Satan regar fallacia,
In me tument et consument
Vitam acrocordines,
Ne me caedant atque laedant,
Christifera, sic ordines.
16. Nam me festant ac infestant
Morbosa flagitia,
Quaenon lavant, sed me gravant
Per multa supplicia;
Informare me dignare
In virtutum topicis
Et curare me salvare
A pestibus hydropticis.

17. Iera pigra laxa nigra
Cordis atque catholicon,
Ut compungar, satis ungar
Confessus apostolicon,
Ad agalma quod cum palma
Conscendamsanus caelicum
Et in dia theoria
Manna mandens angelicum.
18. Me fecundes et emundes
Contritionis vomere,
Ut fiscosum et venosum
Possim phlegma evomere,
Sparaginas in me sinas
Radices non excrescere,
Verbum Dei, regis mei,
Quae faciunt arescere.
19. Sed meorum vitiorum
Stringatur diffidentia,
Pheletontis, Acherontis
Ut evadam cantheria,
Fervor luxus, irae fluxus
Incendunt cardiacam,
Interpola quam te sola,
Ne procuret hyliacam.
20. Cor adfectum et constrictum
Peccatorum asmate,
Mater, cura et segura
Sacro cataplasmate;
O benigna, laude digna,
Vulneribus pestiferis
Sauciatus, mutilatus
Et pestibus mortiferis,
21. Te imploro et exoro
Complois meis manibus,
Ut aegrotum me iam totum
Eruas a manibus
Et per vanum mundi sanum
Me serves temporaliter,
Post conamen tecum, Amen,
Ut vivam aeternaliter.

Cod. Londinen. (ol. Vratislavien.) Add. 18922. saec. 15.

50. Oratio devota ad BVM.

1. Cur peccator desperem veniam,
Cum Mariam dulcem recogito,
Qui Mariae colo memoriam
Et Mariae sacra revisito?
Meam novit mater miseriam,
Et ad matrem ire non haesito,
Nosco matris immensam gratiam
Et ad mensam maternam mussito.
2. Cerne, virgo, cur Dei filius
In te verum se fecit hominem
Et te, virgo, qua nihil sanctius,
Puram semper reliquit virginem;
Cur cor tuum pertransit gladius,
Cum pro nobis effudit sanguinem
Et per tuum ave suavius
Vitae reddit Evae propaginem?

3. Cur, regina, caelis praesideas
Assueri iuncta coniugio
Et terrarum iura possideas
Angelorum iuncta collegio?
Si, regina, nostri non egeas,
Dum regali sedes in solio,
Te promotam pro nobis videas,
Qui vexamur in hoc exsilio.
4. O Maria, clientes respice
Et supporta gravamen oneris,
Felix mater, suggesto iudice
Tuis natis succurre miseris;
Semper, virgo, nos castos effice
Tela frangens serpentis veteris
Et, regnatric, nos tuos refice
Dulci fructu, quo dulcis frueris.

Cim. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343. saec. 14.

51. De beata Maria V.

- | | |
|---|--|
| 1. De spineto nata rosa,
Arbor vitae speciosa,
Ave, plena gratia,
Nos ad lucem verae lucis
Levas, trahis et perducis
Ducens via regia. | 3. Aaron virga tu fuisti,
Florem, fructum protulisti
Stupendo miraculo,
Deum paris illibata
Post et ante sigillata
Veri regis annulo. |
| 2. Specialis eminenter,
Singularis excellenter
Emines virtutibus,
Flos et lumen es sanctorum,
Sed et luce angelorum
Praemines ordinibus. | 4. Ergo, virgo tam beata,
Multis signis praemonstrata,
Nobis sis propitia,
Aufer iras et dolores,
Mentes fove, forma mores
Pietatis gratia. |
5. Piae matris pia proles,
Hic purgato, quando voles,
Transfer nos ad supera,
Piae matris pia prece
Tu nos a secunda nece,
Pie Iesu, libera.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375, an zwei Stellen A u B. — 1, 1 Vale de spineto nata rosa A; Vale virgo nata rosa B. — 1, 2 Arbor fehlt A. — 1, 3 Vale plena B. — 3, 4 paris eius nata A. — 4, 4 et languores B. — 4, 5 Mentem munda forma B. — 5, 4 matris fehlt A. — Vielleicht Sequenz.

52. De beata Maria V.

- | | |
|--|--|
| 1. Digna laudum carmina,
Vocum modulamina
Nostra sonent agmina
Tibi, caeli domina. | 5. Deleant et crimina;
Insultus extermina,
Reatus elimina
Mundique molimina. |
| 2. Vera cuius nomina,
Patris parens femina,
Supra caeli culmina
Stola gaudens gemina. | 6. Contra fastus fulmina,
Motuum discrimina,
Babylonis flumina
Da salutis omina, |
| 3. Luce vincens lumina,
Vere videns numina,
Revelans velamina
Legis et volumina. | 7. Spei delectamina,
Fidei regimina,
Caritatis tegmina,
Virtutis libamina, |
| 4. Fac pro nobis famina,
Ut tua precamina
Sint nobis iuvamina,
Quae nostra peccamina | 8. Panis vitae fragmina.
Caecum cor illumina,
Tristi luctum termina,
Sere morum semina, |
| 9. Rege, fove germina;
Post mundi certamina
Lucis intra limina
Pia prece nos mina. | |

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 2, 4 Stella gaudens. — 6, 3 fulmina. — 7, 4 Virtuti. — Dem Liede geht in der Hs. folgende nicht zugehörige Strophe voran:

Vale, plena gratiae,
Fons misericordiae,
De caelis nos respice,
O Maria.

53. De beata Maria V.

- | | |
|---|---|
| 1 a. Dulci voto, laeta fide
Festo mentis cor arride, | 1 b. Suavis soni vox sapore
Epuletur et dulcore. |
| 2 a. Laudum melos citharizet,
Risu mentis cor hymnizet
In concentus iubilo, | 2 b. Flores mentis vox peroret,
Cordis auster os irroret
Flatu rigans nubilo. |
| 3 a. Cordis clamor solvat ora,
Et erumpens vox sonora
Aurem melle compluat, | 3 b. Et exclamans mens canora
Ab interna cordis hora
Laudis horas induat. |
| 4 a. Mentis hiems et algores
Cordis [luctus] et languores
Cedant et tristitiae, | 4 b. Cordis aestas det vigores,
Et ver mentis alat flores
In risu laetitiae. |
| 5 a. Sensus laudis in feturam
Floreat,
Virginalem genituram
Proferat. | 5 b. Vagientes belli iura
Dimicant,
Clara fides et natura
Litigant. |

- 6 a. Hic in partu castam videt,
Virginalem hic deridet
In parente flosculum,
- 7 a. Artem fides superavit
Et humanam proculcavit
Rationis meritum,
- 8 a. Huius partus in censura
Silet ergo ratio,
Tacent leges, cadunt iura,
Logicae probatio,
- 9 a. Exceptatam iuris formam
Virgo mater recipit,
Dum in prole partus normam
Et naturam decipit.
- 10 a. O rosae flos,
Quam caeli ros
Tam mire irrigavit,
In fructum fecundavit.
- 11 a. O vas divini numinis,
Quae solem veri numinis
In orbem produxisti,
- 12 a. Tu virga Iesse florida
Per rubum praesignata,
Tu cella Dei rorida
De David stirpe nata.
- 13 a. O vernalis,
Dulcedo sensualis,
- 14 a. O fragrantia,
Spiraculum odoris,
- 15 a. Empyrea, siderea,
Vestibulum decoris,
- 16 a. Amabilis, orabilis,
Tu mitis consolatrix,
Tu pacis mediatrix.
- 17 a. Tu thymiana gloriae,
Tu murra festivalis,
Tu cinnamomum gratiae,
Tu nardus genialis.
- 18 a. Dulcis amor nuptialis
Et amplexus tu legalis,
Formae decor matronalis,
O mentalis levitas.
- 6 b. Hic expulsa mentis lite
Virgo, matris nomen mite
Pacis tenent osculum.
- 7 b. Vis occurrit hic naturae,
Nam divino fracto iure
Suum flet interitum.
- 8 b. Nec rhetoricae pictura
In ornatu proficit,
Argumenti vis impura
Citra metam deficit.
- 9 b. Sensualis hic anhela
Latet inquisitio,
Quomodo fit haec quaerela,
Deficit editio.
- 10 b. O vitae dos,
Qua felix mos
Te praeglorificavit,
In partu decoravit.
- 11 b. O Gedeonis area,
Rore Dei nectarea,
Quem virgo genuisti.
- 12 b. Tu turea, purpurea,
Tu pudor virginalis,
Tu gemmea, pampinea,
Tu decor festivalis.
- 13 b. O lustralis,
O spes fiducialis.
- 14 b. O praestantia,
Signaculum pudoris.
- 15 b. Tu stellea, tu mellea,
Latibulum fervoris.
- 16 b. O vera pax, ignita fax,
O veniae donatrix,
Humilium salvatrix.
- 17 b. Tu cinnamum fragrantiae,
Tu balsamus vitalis,
Tu sapor odorabilis,
Tu odor olivalis.
- 18 b. Dulcor cordis tu nativus,
De quo fonte rubor vivus
Prodit, tu salutis rivus,
O veris amoenitas.

- 19 a. O diascens per inane
Caeli fulgor, rubrum mane,
Cordis nubes et profanae
Mentis umbras abige,
- 19 b. Ut in corde te vidente
Moto voto, mente fiente
Lamentemur et intente
Locum demus veniae.
- 20 a. Salve, veris flos decorans,
Favus stillans ac dulcorans,
Liquor caeli melle rorans,
Praedulcis securitas.
- 20 b. Ave, gemma candidata,
Tu crystallus inaurata,
Labe nulla deflorata,
Semper florens puritas.
- 21 a. Matutina lux rubescens
Et aurora refulgescens,
De qua mundo sol ignescens,
Deus homo prodiit:
- 21 b. Fulgor noctis tu lunaris
Et in luce lux solaris,
Solem mundo stella paris,
Per te salus rediit.
- 22 a. Auri prima redit aetas
Et decursas quaerit metas,
Hanc, virgo, reciprocas;
- 22 b. Per te sidus ioviale
Mundo praebet se pacale,
Tu austerum revocas.
- 23 a. O in matre permansura,
Nulla sua perdens iura,
Augusta virginitas;
- 23 b. Rosa florens in rubore,
Flos humescens vivo rore,
Quem rigavit trinitas.
- 24 a. Virga Iesse te vitalis,
Fructu, flore genialis,
Res quondam prodigialis
Praesignavit typice.
- 24 b. Nam per florem figuraris,
Virgo mater appellaris,
Cum in fructum complantaris
Per Ave mirifice.
- 25 a. Ave, verbum actuale,
Sempiterna laude vale,
Tu conclave virginale
Regi regum fecunditas.
- 25 b. O miranda partus iura,
O quam digna, o quam pura,
Quam miratur et natura
Et sensus profunditas.
- 26 a. Hic altiloqui Platonis
Sensus hebet, Ciceronis
Et vox Publii Maronis
In loquendo deficit.
- 26 b. Nulla prosunt artis tela,
Nihil agit hic loquela,
Sed arcana Dei vela
Sola fides perspicit.
- 27 a. Novum opus geniturae
Sibi sumit opifex,
- 27 b. Artem fallit hic naturae
Ipse summus artifex.
- 28 a. O digna credulitas!
- 28 b. O credenda dignitas!
- 29 a. Res probanda, mira iura,
Quod humana sub figura
Deus homo latuit,
- 29 b. Quod sub alga rosa luxit,
Gemmam lutum quod obduxit,
Quae non minus patuit.
- 30 a. Caelum terrae se conclinat,
Petra caeli mel propinat,
Umbra soli iungitur,
- 30 b. Cedrus latet sub hysopo,
Lux in fumo, tali tropo
Terra caelo fungitur.
- 31 a. O scintillans lux in caelo,
Non caligans umbrae velo,
Omni puro purior;
- 31 b. Planta rore tu imbuta,
Imbre Dei tu perluta,
Secura securior.

- 32 a. Vena fontis expers limi,
Rosa rubens, vigor thymi,
Tu cella vinaria,
- 33 a. Planta dulcis adoptiva,
Fructu, flore, fronde viva,
Fel antiquum et nociva
Primae stirpi temperas.
- 34 a. Deum paris, virgo pura,
Ut praedixit in figura
Isaias primitus.
- 35 a. Flos pudoris non marcescit,
Quem post partum brumanes-
cit
Et humana vanitas,
- 36 a. Florens hortus et conclusus,
Dulcis fructus gerens usus,
Fons signatus,
Vitae status,
Tu oliva germinans.
- 37 a. Tu frondosa tilia,
Dans umbracla milia,
Fonte vivo rigua;
- 38 a. Tu Dei sacrarium,
Noctis luminarium,
Tu illustris claritas,
Tu veris hilaritas,
Lux soli contermina.
- 39 a. Tu post ventos hiemantes
Aestiva serenitas,
- 40 a. O sub umbra grata quies,
Fontana viriditas,
- 41 a. Tu fervoris aestuosi
Opacans temperies,
- 42 a. Flante terris aquilone
Tu lenis caliditas,
- 43 a. Odor floris, flos odoris,
Dulcis odoramine,
- 44 a. Ave, rosa vigorosa,
Tu columna pietatis
Et alumna deitatis,
Tu candoris lilium.
- 45 a. Quos ad ortum tuae laudis
Mundi dulcor suae fraudis
In occasu nubilat,
- 32 b. Quae distillas caeli rorem,
Dei nectar et liquorem,
Plena laude varia.
- 33 b. Nata patrem, parens natum,
Homo Deum humanatum,
Ante tempus generatum
Virgo manens generas.
- 34 b. Salve, decus virginale,
Te signavit figurale
Vellus madens caelitus.
- 35 b. Sed qui fuit, idem manet,
Nec excessus aestu canet,
Prima manet sanctitas.
- 36 b. Mitis, decens, elimata,
Igne Dei tu flammata,
Purpurata,
Sublimata,
Evae cladem terminans.
- 37 b. Eia, virgo decorata,
Fronte, genis, ore grata,
Tu Deo contigua.
- 38 b. Tu rosa candidula,
Austro caeli stridula,
Cuius rorans folium
Vile nescit lolium
Et sinistra germina.
- 39 b. Post procellas fluctuantes
Tu pacis amoenitas.
- 40 b. Vernans radiosa dies,
Fervoris algiditas.
- 41 b. Mundi salus ruinosi,
Post maerorem requies.
- 42 b. Cum sol ardet in leone,
Tu grata frigiditas.
- 43 b. Flos in rore, ros in flore,
Vernans Austri flamine.
- 44 b. O si mentem vox sequatur,
Si per linguam constringatur,
Quod cor intus meditatur,
O mater humilium.
- 45 b. Duc in pacis orientem
Post terrarum occidentem,
Ubi vita iubilat.

- 46 a. Quos adversans caro laedit
Et ferrugo criminis,
- 47 a. Laudem tibi mens progignit,
Amor nutrit et insignit,
Quae vox extra parturit.
- 48 a. Tu naturae suavitas,
Auctorum felicitas,
Dulcis morum gravitas.
- 49 a. O solamen, temperamen
Gratiae,
- 50 a. Aura caeli flatu lenis,
Siccis plue cordis venis
Vigorem germineum,
- 51 a. Casta, decens, fructuosa,
Tua prole gloriosa,
Pia mater generosa,
Da salutis praemium;
- 52 a. Nominosa caeli dea,
Dei mater et idea,
Caeli clara lumine,
- 53 a. Ach, quissapor, quamsaporas,
Qualis vapor, quam vaporas,
Irrigamen gratiae,
- 54 a. Uva mellis, plena rore,
Ventilata rosae more,
Ubertatis satio,
- 55 a. Duc ad litus nos de ventis,
Lux serenans diem mentis,
Convivatrix animae,
- 56 a. Ave, decens et festiva,
Semper felix et votiva,
Melos te glorificet;
- 56 c. Cordis fonte, da, promanans
Rivus, carnis morbum sanans,
Animam vivificet.
- 46 b. Quos ab horto culpa cedit
Paradisi liminis.
- 47 b. Quod concepit mens fetosa,
Foris lingua dulci prosa
Loquens melos scaturit.
- 48 b. Regalis humilitas,
Tu dulcis moralitas,
Viva sensualitas.
- 49 b. Tu medela et tutela
Veniae.
- 50 b. Mundi vanos tolle flores,
Labyrinthum et errores,
Tu decus virgineum.
- 51 b. Virga veris genetiva,
Imperatrix caeli diva,
Plue tuis donativa,
Pandens opis gremium.
- 52 b. Radix vento, rore lento,
Madidata, fecundata,
Plena Dei numine.
- 53 b. Decor formae puellaris,
Decens pudor tu sponsalis,
Clara rubens facie.
- 54 b. Stella maris, favi stilla,
Fluctuantes nos tranquilla,
Portuosa statio.
- 55 b. Eia, veris temperamen,
Leni corda dans spiramen
Et decus magnanime.
- 56 b. Laus sit tibi, Deo grata,
Cuius parens es et nata,
Mundus te magnificet.
- 57 a. Eia, precum imbre natum
Redde mitem et placatum,
Virgo, lex emphatica,
- 58 a. Arce remo castitatis
Nos ab esu vanitatis
Et caenosis fluctibus,
- 59 a. Oris candor spondens risum,
Te videntis pascens visum,
Serenatrix cordium,
- 57 b. Iuventutis nostrae ratem
Duc per mundi tempestatem,
O mater probatica,
- 58 b. Redde portum vitae sanctae,
Vento caeli nos perflante
Duc de mundi luctibus.
- 59 b. Tu aurora, mentis risus,
Vernans cordis paradisus,
Salutis exordium.

- 60 a. *Cibus cordis epulantis,
Nectar mentis iucundantis,
Quod decorem procreat,*
- 60 b. *Da inundans fletus rivo
Cordis vultus te votivo
Plangore demulceat.*
- 61 a. *Dei nata, natum roga,
Ut nos pressos carnis toga
Veste caeli poliat,*
- 61 b. *Quos Dione dulci felle
Et fellito luxus melle
Visu mentis spoliat.*
- 62 a. *Algescentes crimine
Nos dulci nutrimine
In salutem corrige,*
- 62 b. *Anxiatos onere
Da mundana ponere,
Fessis opem porrige.*
- 63 a. *Pravis subveni,
Abigail virtutis,*
- 63 b. *Regis iram praeveni
Precibus virtutis.*
- 64 a. *Vera Iahel gloriae,
Sisaram pertunde*
- 64 b. *Et clavo victoriae
Spem tuis refunde.*
- 65 a. *Novae Iudith gratiae
Nos ab Holoferne*
- 65 b. *Salves, hostem animae
Gladio prosterne.*
- 66 a. *Nos in fine, virgo, nosce,
Sanctum manna nobis posce,
Dulcem alimoniam,*
- 66 b. *Ne qui fluctu nunc iactamur,
Tunc infernae patiamur
Luis acrimoniam.*
- 67 a. *Nos in mortis agonia,
Caeli dea, vitae via,
Luctantes non deseras,*
- 67 b. *Post mundi calamitosa
Caeli semper radiosa
Da, quae caelum reseras.*
- 68 a. *O quae mentem Dei sentis
Et in libro Dei mentis
Cursus mundi prospicis,*
- 68 b. *O quae vides vitae metas,
Tam futuras quam impletas,
Tu quae noym conspicis.*
- 69 a. *Tolle mitis variam
Poenam carcerariam,
Nec gementes despice,*
- 69 b. *Luctuosum, labilem,
Mundum inamabilem
Pio vultu respice.*
- 70 a. *Tu, regina, caeli domo
Nunc elata, quondam homo
In delicti nostri pomo,
Summo regno fungeris.*
- 70 b. *Nos in pomo culpa stravit,
Casus noster te beavit
Et in regnum sublimavit,
Ubi Deo iungeris.*
- 71 a. *Ergo iura pietatis
Redde, mater, tuis natis,
Labe carnis infuscatis,
Sic te matrem induis.*
- 71 b. *Tuos natos dissentire
Per quemcunque motum irae
Si concedis, potes scire,
Quod te matrem exuis.*
- 72 a. *Turris David clippeata,
Labe nulla superata,
Neque flamma devastata
Nec carnis incendio,*
- 72 b. *Da, praelata caeli thronis,
Ne tyrannus rationis
Placans felle laesionis
Et tristi dispendio,*
- 73 a. *Amor carnis intestator,
Castitatis expugnator,
Visum mentis debriet,*
- 73 b. *Ne iuventae sensus hebens
Et iocorum dona praebens
Male cor inebriet.*

- | | |
|---|---|
| <p>74 a. Da, quod luctum risus [pendat],
Quod timorem spes defendat,
Desperare prohibe,</p> | <p>74 b. Quod primaevamens senescat,
Quod a labe cor desuescat,
Carnis iura prohibe.</p> |
| <p>75 a. Ne vitandum auris bibat,
Nec os animam proscibat
In infando fame,</p> | <p>75 b. Stultum visus ne venetur,
Nullo vili superetur
Naris odoramine.</p> |
| <p>76 a. Nos in cymba pietatis
Et in transtro sanctitatis
Per fluctus humanitatis
[Duc ad portum deitatis]
Post haec transitoria,</p> | <p>76 b. Post iacturas tempestatum
Portum caeli redde gratum;
Posce nobis sanctum pneuma,
Ut per laetum te celeuma
Canamus in gloria.</p> |

Cod. Londinen. Arundel 374. saec. 13/14. — 2b, 3 rigam. — 4b, 1 Cordis hostas. — 5b, 1 Vagentes. — 7a, 3 Rationi. — 22b, 4 austeram. — 25b, 2 o fehlt. — 44a, 3 dei pastis. — 46b, 1 ab orto. — 50a, 2 Sicce plue. — 53a, 1 saporans. — 53a, 2 vaporans. — 55b, 2 Lene. — 59a, 2 videntes. — 60b, 1 fletis. — 63a, 1 Pramis subveni. — 73a, 2 descendat.

54. Oratio ad beatam Mariam V.

- Felix mater, ave, qua mundus solvitur a vae,
Quae genetricis Euae vae facis esse breve.
Salve, sancta parens, virgo mundi reparatrix,
Omni labe carens, clemens hominum miseratrix.
5. Salve, munditiae speculum, flos virginitatis,
Caelestis patriae splendor, templum deitatis.
Salve, flos florum, rosa primula, virgo suavis,
Spes peccatorum, fons vitae caelica clavis.
Sacra pincerna veniae, regina superna,
10. Solis lucerna, precibus nos, virgo, gubernata.
Virgo Deo digna, virgo pia, [virgo] benigna,
Contra luctamen hostis mihi ferto iuvamen,
Ut sanctum flamen hic assit, funde precamen.
Sancta maris stella, felix fecunda puella,
15. Hanc cellam signa, propellens cuncta maligna.
Fac me sub cella sic omnia ferre flagella,
Ut vitis purus teneam, quem sum petiturus,
Et cruce securus pergam sub ea moriturus,
Et cum decedam mundo, cum laude recedam,
20. Ne Belial praedam capiat de me sibi foedam,
Hoc praestet munus, qui regnat trinus et unus.

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20002. — 19. Das Wort mundo ist in der Hs. unleserlich und ruht auf Coniectur.

55. De beata Maria V.

Flos florum, fons hortorum, regina polorum,
Spes veniae, lux laetitiae, medicina dolorum,
Virga recens, virgo decens et forma bonorum,
Parce reis, opem fer eis, in pace piorum
Pasce tuos, succurre tuis, miserere tuorum.

Collect. ms. Hemmenrodense saec. 15. Cod. Vindobonen. 4781. —
4 pacem Hs.

56. De beata Maria V.

- | | |
|---|---|
| 1. Gaude, casta mater Dei,
Decus mundi, lux diei,
Angelorum gloria,
Porta patens, aula caeli,
Quae fideli Gabrieli
Credidisti nuntia. | 3. Regem regum tu lactasti,
Hic te fecit, quem portasti
Tuis in visceribus;
Inter omnes collaudaris
Benedictaque vocaris
Tu in mulieribus. |
| 2. Deo patri placuisti,
Dum ancillam te dixisti,
Virgo clementissima,
Salvatorem concepisti
Et intacta permansisti,
Virgo prudentissima. | 4. Fidem sola conservasti,
Morientem, quem portasti,
Tu vidisti, Maria;
Temporalem pertulisti
Mortem, virgo, dum vidisti
Vexilla regalia. |
| 5. Virgo mater pietatis,
Fidem sanctae trinitatis
In nobis corrobora,
Ne post sensus naturales
Inimici speciales
Nostra premant pectora. | |

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt.
Eecl. 375. — Vielleicht Sequenz.

57. De beata Maria V.

- | | |
|--|--|
| 1. Gaude, felix Maria,
Tota plena gratia
Conceptus exordio;
Gaude, felix regia,
Tota plena gloria
Ventris tui medio. | 3. Gaude, felix nesciens
Virum et concipiens
Dominum cum gaudio;
Gaude, felix pariens
Integra, non sentiens
Poenam puerperio. |
| 2. Gaude, felix gemmula,
Refulgens per saecula,
Flos sine contagio;
Gaude, felix virgula,
Sanctitatis regula
Carens omni vitio. | 4. Gaude, felix civitas,
In qua sancta trinitas
Trino sedet solio;
Gaude, felix deitas
Et caro sunt unitas
Caelesti coniugio. |

- | | |
|--|---|
| <p>5. Gaude, felix fecunda,
Tibi non est secunda
 Cum pudoris lilio;
Gaude, felix et munda,
Carnis curans immunda
 Castitatis radio.</p> <p>6. Gaude, felix femina,
Caeli claudens limina
 Ventris in sacrario;
 Ubi, virgo tenera,
 Purget nostra scelera
 Tua intercessio.</p> | <p>Gaude, felix domina,
Cuius caeli culmina
 Flectuntur imperio.</p> <p>7. Gaude, felix, ubera
Per caelorum munera
 Plena praebens filio;
Gaude, felix, dextera
Dei super sidera
 Sedens throno regio,</p> |
|--|---|

Orat. ms. Carth. Hildesheimen. saec. 15. Cod. Iosephini Hildesheimen. 3(6). A. — Cod. Carlsruhan. Augien. 36. saec. 14/16. B. — 1, 4 regina A. — 4, 4 Sic ventre deitas A. — 4, 5 Cum carnem sumit unitas B. — 4, 6 In beato gaudio B. — 5, 4 Nam caro tua A. — 5, 5 curat A; Carne carens B. — Statt Str. 7 hat B die folgende:

<p>Gaude, felix, ex more Divino plena rore Ubera dans filio;</p>	<p>Gaude, felix, honore Sedens cum creatore In caeli palatio,</p>
<p>Ubi Christi dulcore Fruamur et amore Dono tuo regio.</p>	

58. De beata Maria V.

- | | |
|---|--|
| <p>1 a. Gaude, gemma virginum,
Prima salus hominum,
 Nondum nata consecraris;</p> <p>2 a. Gaude, Maria, laetaris
Verbo, per quod fecundaris,
 Gabriel quod edidit;</p> <p>3 a. Gaude, virgo venerata
Tribus magis, adorata
Tribus donis et personis,
 Nato sollempnissima.</p> <p>4 a. Gaude, regina caelorum,
Tibi paret angelorum
 Cunctorumque dominus</p> <p>5 a. Gaude, Maria, quae natum,
Iesum tuum, morti datum,
Post mortem glorificatum
 Partum das laetitiae.</p> <p>6 a. Gaude, mortis calcans statum
Caeli transis ad ornatum,
Corpus gerens cumulatum
 Sempiterna gloria.</p> | <p>1 b. Gaude, quae dum nasceris,
Sancto mox depasceris
 Spiritu, quo obumbraris.</p> <p>2 b. Gaude, Maria, quae paris
Filium, quo tu crearis,
 Quique cuncta condidit.</p> <p>3 b. Gaude, templo praesentata
Dudumque desiderata,
Consecraris et laetaris
 Prole sacratissima.</p> <p>4 b.</p> <p>5 b. Gaude, felix advocata,
Nobis miseris parata,
Arrha vitae nuncupata,
 Fons misericordiae.</p> <p>6 b. Gaude, caelos ut intrasti,
Tu Seraphim decorasti,
Tu Cherubim illustrasti,
 Supernorum domina.</p> |
|---|--|

- | | |
|---|---|
| <p>7 a. Eia, pia mater Dei
Et hominis quoque rei
Vivum patrocinium,</p> | <p>7 b. Tuis natis tuum natum,
Bona mater, da placatum
Nunc et post hoc exsilium.</p> |
|---|---|

Orat. ms. Carthus. Hildesien. saec. 15. Cod. Iosephini Hildesheimen. 3(6). —
1, 6 umbraris. — 6, 7 Tu fehlt. — 7, 2 hominisque rei.

59. Oratio ad beatam Mariam V.

- Gaude, maris stella, Iesse de stirpe puella,
Quam de gente David virtus divina vocavit,
Ut verbo patris fieres substantia matris,
Et pareres Christum, qui mundum solveret istum,
5. Sic etiam pareres, ne virginitate careres.
Foedere digna pari genetrix tibi virgo vocari,
Te voco, virgo pia, supplexque requiro, Maria,
Ut miseri curas divinis ignibus uras.
Sum miser, obscaenus nimiaque putredine plenus,
10. Complue peccatis caelestis aquas pietatis
Facque tuo lotum dulci medicamine totum,
Quidquid post sacrum commisit culpa lavacrum,
Qui per me labor, nunquam sine te revocabor.
Porrige, virgo, manum subito me faciens sanum,
15. In partem laevam, quem traxit culpa per Evam.
Placare irae, quibus illam vis aperire,
Cum sub extremo poterit succurrere nemo.
Quis faciet tutum turpissima quaeque secutum,
Ni mihi tutelam des iudicis ante quaerelam?
20. Cum mundus flebit, cum terra polusque timebit,
Sola potes terrae miseris suffragia ferre.
Sors ubi sanctorum desperat opem miserorum,
Flectitur irati per te sententia nati.
Illud ad examen misero concede iuvamen,
25. Sentio damnari, si differs auxiliari.
Iam datus ad mille tormenta Theophilus ille
Per te salvatur Christoque reconciliatur.
Hic ita peccavit, quod Christum teque negavit,
Nec caruit venia te virgo iuvante Maria.
30. Ego peccator, non corde vel ore negator,
Credo salvari per teque reconciliari,
Propter peccantem si vis orare tonantem.
Hoc, sacra, dispone, quod transferar ex Babylone,
Fac, pia, Ierusalem conscendere spiritualem,
35. Pax ubi succedat, quam nulla calumnia laedat,
Rex ubi virtutis fit potus et esca salutis,
Lux ubi reginae sit aperta mihi sine fine.
Ante redemptorem sortita sedis honorem,

- Vox peccatoris te flagitat, aula pudoris,
40. Ad caeli numen metuentis flectere lumen
Et nil audentis de nomine cunctipotentis.
Audi clamantem, te, virgo beata, vocantem,
Sed ne turberis, quod ab illius ore voceris,
Qui vitii foedus mollis pertransit ut hoedus,
45. Penitus errorum iam foetet ineptia morum.
Labilis et vanus sum plus quam quatruiduanus,
Suscipe conversum, noviter Babylone reversum,
At male deceptum fac cum pietate receptum.
Si veniam posco, si flens mea crimina nosco,
50. Non ego damnari, non debeo iam reprobari;
Nam decet auctorem non exercere furorem,
Iam debet pietas odiis imponere metas.
In te sperantem non vidi, virgo, vacantem,
In te iactatum non vidi ludificatum.
55. Me tibi commendo, reus ad te, spes mea, tendo,
Erige labentem, culpis absolve foetentem,
Offensum natum mihi redde reconciliatum.
Si merso mundo tenebris mortisque profundo,
Sancta parens Christi, dare praesidium potuisti,
60. Si plures stellis animas a morte revellis,
Quam vetus illorum transfundit culpa duorum,
Ergo mihi soli „non possum“ dicere noli.
Par tibi maiestas et adhuc manet ipsa potestas,
Post tantum munus levius salvabitur unus.
65. Nec dicas natum fessum tam saepe rogatum,
Vult mediatricem Deus esse suam genetricem,
Qui se pulsari, pro peccatore rogari
Non indignatur, sed cum petitur, miseratur.
Qui super errantum gaudet revocamine tantum,
70. Quo miserante bonis sors est coniuncta latronis,
Qui Lazarum flevit, triduana morte quievit,
Praeda superborum cum sit pro morte reorum
Perlatae fortis Iesu de munere mortis.
Dans mundo pacem fac me, regina, capacem,
75. Simque redemptorum per te concivis eorum,
Pro quibus est Iesus mortali corpore laesus.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt.
Eccl. 375.

60. De beata Maria V.

- | | |
|--|--|
| 1. Gaude, mater salvatoris,
Mater salutifera,
Spes Maria peccatoris,
Virgo et puerpera. | 2. Salve, rosa sine spina,
Salve, Iesse virgula,
Cuius fructus nostri luctus
Relaxavit crimina. |
|--|--|

- | | |
|---|--|
| 3. Virga, rubus appellaris,
Flos, fenestra, ianua,
Mater Dei, lux solaris,
Iesse stirps ingenua. | 4. Digna Deo, interpella
Pro nobis, o Maria,
Prece tua ut ad sua
Nos ducat palatia. |
|---|--|

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 4, 1 Digna nobis. — 4, 2 nobis ora Maria.

61. De beata Maria V.

- | | |
|---|---|
| 1. Gaude, mater, vitae portus,
Ex qua mundo sol est ortus,
Qui salvavit saecula,
Virgo semper tu fuisti,
Virgo Deum genuisti
Sine viri copula. | 3. Ave, summi mater regis,
Quae cum nato cuncta regis
Mira cum potentia;
Ave, quae cares simili,
Isti catervae debili
Sis semper propitia. |
| 2. Salve, per quam aperitur
Caeli porta et finitur
Mundana tristitia,
O quam bonum idem Ave,
Quam praeclarum, quam suave,
Per quod datur gratia. | 4. Per te, virgo, conferatur
Nobis salus, concedatur
Peccatorum venia;
Pie Iesu piae matris,
Dona nobis regna patris
In caelesti gloria. |

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Vielleicht Sequenz.

62. De beata Maria V.

- | | |
|--|--|
| 1. Gaude, mitis, gaude, pia
Dei genetrix Maria,
Gaude, dulcis et serena,
Gratia, gloria plena. | 3. O regina coronata,
Cunctis gemmis adornata,
Gaude semper et laetare
Et in Deo gloriare |
| 2. Tota pulchra, tota bona,
Summi regis in corona
Gemma fulgens ut formosa,
Super omnes gloriosa. | 4. Eo, qui te coronavit
Et in caelis sublimavit,
Summo throno collocavit,
Gloriose coronavit. |

5. Laus, honor Deo deorum
In saecula saeculorum,
Uni trino sempiterno
Benedicamus Domino.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Lunaelacen.) 9835 anni 1451, als Conclusio pretiosissimae coronae, eines in Reimprosa oder Knüttelversen geschriebenen Gebetes. — 3, 4 Deo fehlt. — 4, 1 Ei qui. — 4, 3 In summo. — 4, 4 Et gloriose. — 5, 1 honor fehlt.

63. De beata Maria V.

1. Gaude, plaude, clara rosa,
Esto maesto cara prosa,
Salutanti, supplicanti,
Te roganti dic amanti:
 In Christo te servavero.
Colens volens te sentire,
Quod sis praesens, fac me scire,
Intuentem intuere,
Sinum tuum da patere,
 Me totum tibi offero.
2. Gaude, mea speciosa,
Cui clamo: Rosa, rosa,
Pulchra nimis et formosa,
Super omnes amorosa,
 Tu sola sine compare.
Gaude, mea tu dulcedo,
Vere dulcis plus quam medo,
Tu cor meum dulcorare
Et me debes debriare
 Voluptuoso nectare.
3. Gaude, cuius ad aspectum
Meum patet imperfectum,
Hoc tu, pia mater, vides,
Vides quidem nec derides,
 Misericors compatiens.
Ad me vultu vide laeto,
Cum te clamans inquieto,
Da despecto, da neglecto,
Quod affecto, quod exspecto
 In multis insufficiens.
4. Gaude, felix et decora,
Gaude, gaude omni hora,
Cuius amor caret felle,
Plus dulcescit omni melle,
 Quo nihil sapit dulcius.
Gaude, cuius vultus ridet,
O quam felix, qui hunc videt,
Hunc qui videt, admiratur,
Gaudet, ardet, inflammatur
 Amore tui saucius.
5. Gaude, mea mediatrix,
Mea sola consolatrix,
Mea mater et amatrix,
Mei hostis expugnatrix,
 O felix, quem inhabitas.
Gaude semper et exsulta,
Auro, gemmis bene culta,
Mea mens ad te suspirat,
Qui non amat te, delirat,
 O amor, o amoenitas.
6. Gaude laeta sine meta,
Mitis, suavis et quieta,
Eia, cara mater, vide,
Vide me in tua fide,
 Te diligentem dilige.
Gaude, festum cordis mei,
O festiva sponsa Dei,
Quod de corde meo meat,
In cor tuum, fac, ut eat,
 Huc aurem tuam porrige.
7. Gaude, cuius post odorem
Cor movetur ad amorem,
Foves illud, ne frigescat,
Moves illud, ne lentescat,
 Dicens: tamen non curritis?
Gaude, cuius vox est illa,
Quae nos lactat ut mamilla:
Ad me omnes vos transite,
Me gustate, me sentite,
 Vos, qui me concupiscitis.
8. Gaude, quae ad tuos clamans,
Quos ut pia mater amas;
Ego mater sum amoris,
Magnae spei et timoris,
 Et caritatis speculum.
Gaude, pura tu puella,
Dominantis domicella,
Cuius tuto sub mantello
Nullus timor est misello,
 Sed timido latibulum.
9. Gaude, mater, quam qui audit,
Contra carnem aurem claudit,
Quam audire nulli grave,
Quam sentire o quam suave,
 Tu omnibus es omnia.
Gaude, festa, nunquam maesta,
Tu honesta, tu modesta,
Gaude, gaude, bona mater,
Cum qua gaudet Deus pater,
 In cuius gaudes curia.

10. Gaude, gaudens sine fine,
O magistra disciplinae,
Cuius scholam frequentare,
Cuius virgam supportare
Non gravat tuos filios.
Gaude, valde diligenter
Diligentes te ardentem
Si quid errant negligenter,
Nescienter aut scienter
Fac poenae, culpaenescios.
11. Gaude plus quam vehementer,
Te amamus tam libenter,
Salutamus tam frequenter,
Veneramur reverenter,
Attende, o carissima.
Gaude pro maerore tristi,
Quem in morte Iesu Christi
Illa dura in tortura
Et clavorum in fixura
Tulisti, amantissima.
12. Gaude, clara multis signis,
Cuius amor globus ignis,
Lampas ardens, fax, scintilla,
Tu insignis, tu pusilla,
Tu talis, qualem quaerimus.
Gaude, cuius dulcis amor
Est in corde fortis clamor,
Qui dum praesens experitur,
Cor et pectus aperitur,
Aegrotat ardens animus.
13. Gaude, suavis, amorosa,
Consolatrix fructuosa,
Sapis nobis o quam bene,
Cuius venae melle plenae,
Dulcedo iubilantium.
Gaude, virgo verecunda,
Rubicunda, laetabunda,
Cuius vultum quisquis videt,
De te gaudet, de te ridet,
Nam formas vincis omnium.
14. Gaude cum his, qui te amant,
Tibi gaude qui proclamant,
Quorum cor te contemplatur,
Complexatur nec vexatur,
Sed totum in te rapitur.
- Gaude, gaude dico tibi,
O quam dulce est, quod bibi,
Qui te quaerit, nunquam perit,
Quem tu amas, tuus erit,
Quam felix, qui te sequitur.
15. Gaude, cuius a fervore
Cor ebullit in amore
Quod a motu vix quiescit,
Ingemiscit, si frigescit,
Quem tangis, ardet dulciter.
Gaude mecum tu in mente,
Tecum ero te favente,
Non inanem me transibis,
Immo in me tota ibis
Mansura mecum iugiter.
16. Gaude, rosa speciosa,
Super rosam tu formosa,
Tu es rosa singularis,
Sola rosa tu vocaris,
Tu lilium et viola.
Gaude, suavis, plena favis,
Blanda caris, nulli gravis,
Cordi meo coniungaris
Et cor meum adloquaris,
Nam ardet iam ad oscula.
17. Gaude, pura creatura,
Gaude, semper gavisura,
Pulchra nimis intus, foris,
H'ons dulcoris, fax amoris,
Et pectoris incendium.
Gaude, laude infinita
Redimita margarita,
In regali throno sita,
Tuus amor mea vita
Et cordis desiderium.
18. Gaude, tota purpurata,
Vivis stellis constellata,
Tu caelorum es praelata,
Elevata non elata,
Subiecta regens aethera.
Gaude, cuius in corona
Perfectorum lucent dona,
Cuius splendor est ut ignis,
Cuius honor est insignis,
Quis posset fari cetera?

19. Gaude, cuius in aspectum
Vivit amor in defectum,
Cordis mei patet bulla,
Cuius scatet iam medulla,
O cara, veni, propera.
Intra meum vile tectum,
Tuum tecum fer dilectum,
In me tuum sterne lectum,
Quia meum seis affectum,
Te diligo, considera.
20. Gaude, cuius ardet sinus,
Inde lucet sol divinus,
Tuos caros huc invita,
Mei tamen non oblita
Tu trahere me, non altera.
Dulce nimis est, quod sapit,
In quo tuus amor capit,
Lingua carnis obmutescit,
Clamor cordis non quiescit,
Mens languet amorifera.
21. Gaude nunc, dilecta mea,
Cuius vadunt in chorea
Omnes tui speciales,
Speciosi curiales,
Qui tuum canunt canticum.
Gaude, dulcis philomena,
Cuius vox amore plena,
Tua suavis cantilena
Laus sanctorum est amoena
Et gaudium angelicum.
22. Gaude, clara lux solaris,
Quae nos quaeris, ut quaeraris,
Lassos pie praestolaris,
Accurentes amplexaris
Compassionis brachio.
Ad te vado corde laeto,
Tibi loquor in secreto
Hoc, quod peto, mihi dabis,
Temet ipsam non negabis,
Ut dixi: ecce, venio.
23. Gaude, semper pia, gaude,
Habe me in tua laude,
Mire gaude, gaude mere,
Iube tecum me gaudere,
Gaudentium materia.
- Gaude, gaude, modo miro
Tu es mater sine viro,
Te amantem audi, precor,
Sine causa te non sequor,
O dulcis amicitia.
24. Gaude propter illud Ave
Cordi meo tam suave,
Totus manet Deus tecum,
Tota tecum, tota tecum
Et mea tecum anima.
Gaude, cuius cor oblectat,
Quod te nostra mens affectat,
Salutata gratularis,
Assum, dicis, dum vocaris,
O mater amantissima.
25. Gaude, fons qui non siccaris,
O quam suavis, dum gustaris,
Tuus rivus amor vivus,
Per medullas transitivus,
Beatus, quem inebrias.
Te qui bibit, non peribit,
Nam amare quis te quibit?
Te qui edit, non abscedit,
Sitibundus sponte redit,
Me foras non eiicias.
26. Gaude, mea dives era,
Tota mea spes revera,
Audi me in veritate
Et in vera caritate,
Da totum, quod desidero.
Vives, vives, semper dives,
Cuius clari sunt concives,
Is, qui dicit tibi gaude,
Semper tecum sit in laude
In electorum numero.
27. Gaude, sedens in decore,
Semper ardens in dulcore,
Cuius vultum concupiscunt,
Qui amare semper gliscunt
Te solam et non aliam.
Gaude, rosis coronata,
Omni flore purpurata,
Cuius fulvum indumentum
Est caelorum ornamentum,
Decorans caeli curiam.

28. Gaude vernans paradisus,
In quo viret noster visus,
In quo surgit flos decoris,
De quo fluit fons dulcoris
Et omne, quod est optimum.
O amoena vitae vena,
Languet mea mens egena,
Nil est valens te non habens,
Perit valens male tabens,
Frigentem fove animum.
29. Gaude, cara, valde clara,
Tu Maria, non amara,
Mihi, precor, applicare,
Et quam dulcis sis, appare,
Nam satur est, quem satias.
O regina, sis vicina,
O dilecta, non declina,
Temet ipsam non absentia,
Me frequenta et sustentia
Nec debilem proicias.
30. Gaude, mater, ad te curro,
Tu ausculta, quod susurro,
Ave, gaude tibi clamo,
Te, ut possum, totus amo
Et cum omnibus viribus.
Ante thronum, o decora,
Dulcem prolem pro me ora,
Quod rogaris, prosequaris,
Datur tibi, quod precaris
Prae angelorum milibus.
31. Gaude, mea procuratrix,
Peccatorum excusatrix,
Meas sordes terge, lava,
Tege, dele facta prava,
Da caste, munde vivere.
Gaude, virga nunquam arens,
Aret autem tui carens,
Tuo florens in amore
Stet cor meum in virore,
Te meditetur libere.
32. Gaude, clara stella maris,
Mater magni luminaris,
Rotam solis specularis,
Trinum Deum contemplaris
In omni pulchritudine.
- Tu in Deo vere tota
Fixa manens et immota,
Deum vivum intuere,
Quem iucundum est videre
In suo claro lumine.
33. Gaude, lux indefectiva,
Tenebrarum expulsiva,
Nutritiva caritatis,
Christi caris cara satis,
Supra modum amabilis.
Gaude meum favens audi,
Hoc inscribe tuae laudi,
Ut sit dulce, ut sit suave
Tuum ave, mihi fave,
Mater desiderabilis.
34. Gaude, parens carens pari,
Quae sit digna sic amari,
Quam amarem, ad quam irem,
Tam suavem cum te scirem,
Quae nullam habes similem.
Gaude, mundi clara dies,
Cordis mei grata quies,
Ne te amen sine causa,
In hac nocte mecum pausa,
Da mentem castam, humi-
lem.
35. Gaude, rosa caritatis
Admirandae suavitatis,
Toto corde complectenda
Et nequaquam dimittenda,
Sed salutanda dulciter.
O dilecta, meum lectum
Purga purum per affectum,
In quo simul collocebur
Et in Christo conectemur
Ardenter et sinceriter.
36. Gaude, gaude, cara mea,
Mentem sanctam in me crea,
Ut sopiti cordis vapor
Sit amoris dulcis sapor
Et suave desiderium.
O iucunda, me circumda,
Caritatis manu munda,
Ut amare te assuescam
Et amando non quiescam,
Te mihi da in praemium.

37. Gaude, gaude tota mecum,
 Audi, audi vota precum,
 Gaude, gaude plus quam satis,
 Laudes meae parvitatís
 In tuis clament auribus.
 Cara, mecum requiesce
 Et ut sol in me diesce,
 Tibi totum me commendo,
 Tu excusa, quod offendo
 Diebus atque noctibus.

Scala caeli saec. 14. in. Cod. Pragen. XIII E 3 A. — Cod. Carols-
 ruhan. Augien. 36. saec. 14/15. B. — Cod. Palat Vindobonen. (ol. Campen.
 883. saec. 14/15. C. — Cod. Scotorum Vindobonen. 50 f. 27. saec. 15 D. —
 Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Lunaelacen.) 3835. E. — Cod. Lambacen. 452.
 saec. 15. F. — Cod. Mellicen. 935. saec. 15. G. — Cod. Hilarien. 7. saec. 15.
 H. — Cod. Paulan. Sanblasian. memb. 45. saec. 15. I. — Cod. Paulan.
 Hospitalen. cart. 326. saec. 15. K. — Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod.
 Berolinen. IV° 29. L. — Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien.
 521. M. — Orat. ms. Heilsbronnense saec. 15. Cod. Erlangen. 770. N. —
 Orat. ms. S. Wilperti saec. 15. Cod. Quedlinburgen. 75 O. — Cod. Graecen.
 1588. saec. 15. P. — Orat. ms. Ambergense anni 1476. Clm. Monacen 2990 Q.

BP sind unvollständig; B beginnt in Folge Verstümmelung der Hs. erst
 mit Str. 27; P enthält nur Str. 17—21 einschließlic. Mehrere Hss. geben
 dies Lied in Tagzeiten abgeteilt; diese Einteilung ist dem Liede nicht ur-
 sprünglich und verschieden in verschiedenen Quellen. Ad Matutinum
 Str. 1—6 oder 7. In einigen Hss. folgt ad Laudes Str. 6 und 7; die
 meisten haben für die Laudes keine eigene Abteilung, sondern beginnen mit
 Str. 7, andere mit Strophe 8. die Prim, mit Str. 12 die Terz (D mit 11, 6),
 mit 17 die Sext, mit 22 die Non, mit 27 die Vesper, mit 33 die Complet.
 AI haben eine eigentümliche Anordnung der ersten 15 Strophen, nämlich:
 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8.

Str. 1 fehlt ABCHMO; steht hinter Str. 5 FG. — Str. 1 lautet in M:

Gaude, mea specialis,	Ave, mater, audi, cara,
Pulchra, suavis, curialis,	Sancta parens, aurem para,
Non est tanta nec est talis,	Salutanti, supplicanti,
* * * * *	Te roganti, te amanti
Tu omnium pulcherrima;	Tu esto semper proxima.

1, 2 esto mihi cara N; cara rosa D. — 1, 3 Salutari supplicari F. —
 1, 4 sic amanti K. — Nach 1, 5 haben DF:

D. Gaudens ibique, Maria,	F. Ex quo nunquam es, Maria,
Es cum trinitate pia	Absque trinitate pia
Et omni choro sanctorum,	Et praeclara es sanctorum,
Haec corda movet tuorum	Move corda famulorum
Et me, qui te desidero.	Et meum, ut desidero.

1, 6 Volens nolens te FG; Gaudens vellem te D. — 1, 7 Quod sis parens
 F. — 1, 10 Peccatori misero D. — Nach Str. 1 schiebt M ein:

Tu imago Dei viva,	Vellem, vellem te sentire,
Sanctitatis expressiva,	Quod sis praesens, fac me scire,
Vultum tuum rosulentum,	Tuam aurem huc inclina,
Adorantem, luculentum	Caeli mitis es regina,
Recogito, considero.	Me totum tibi offero.

2, 1 Gaude, mire I; Gaude, Maria speciosa O. — 2, 2 clamo rubens rosa I; glomerosa rosa G. — 2, 3 et speciosa D. — 2, 5 Tu fehlt I. — 2, 7 Dulcis vere H; Vere cordis dulcis medo G. — 2, 8 Tu dignare dulcorare G. — 2, 9 Nunc debes et debriare C; Et me debes debriare DK; Et me velis debriare I; Meum cor deebriare G. — 2, 10 Voluptatis nectare I. — 3, 1 conspectum CGK. — 3, 3 Quod tu pia D; Quid tu pia CK. — 3, 5 Misero compatiens K. — 3, 6 vide vultu CDGI. — 3, 7 Ut sim corde da quieto H. — 3, 8 Vide, bona mater, vide D. — 3, 9 Quod exspecto, quod affecto, K; Et me dulciter arride D. — 3, 10 Tristem laetum faciens D. — 4, 1—5 und 6—10 umgestellt und vor Str. 3 gesetzt D. — 4, 3 Cuius amor est ut mel CGHK. — 4, 4 Cuius sapor nescit fel CGHK. — 4, 5 Qua nil CGK; Sapor, quo nil G. — 4, 7 qui hoc videt CD; hoc qui videt IK; felix est qui videt G. — 4, 8 Hoc qui videt CDI; Quem qui videt G; Hunc qui videt fehlt H; animatur C. — 4, 9 Gaudet, ridet DG; Ardet, amat C. — 4, 10 Amore tuo CDGIK. — 5, 3 fehlt K. — 5, 4 Hostis mei expugnatrix I u. z. vor 5, 2. — 5, 5 O fehlt DG; O felix, cum quo habitas G; Sancta Dei civitas C. — 5, 7 bene fehlt D; multa DG. — 5, 10 O amor et amoenitas K; O mater, o amoenitas A; O mea amoenitas DG. — 6, 3 Cara mater, tu me vide DG. — 6, 7 O sollemnis sponsa DK; mater Dei I. — 6, 8 Quod ab ore meo CDGHK. — 7, 2 in amorem C. — 6, 3 Fovens GH; Foves tibi ne D. — 7, 4 Movens GH. — 7, 5 Dicens: cur non curritis CDGHIK; bei dieser Lesart fehlt eine Silbe am Verse. — 7, 7 lactet GK. — 7, 8 Omnes vos ad me CGK. — 7, 10 Vos fehlt ACD. — 8, 1 Gaude tu, ad nos quae G. — 8, 4 Spei magnae et CGK. — 8, 5 Et fehlt ACDFG. — 8, 9 est nasallo! D. — 8, 10 Sed fehlt A. — 9, 3 Quam audire est suave A. — 9, 4 o fehlt DGHIK; tam suave GH; Oboedire non est grave A. — 9, 5 Tu fehlt A. — 9, 6 festa plus quam maesta K. — 9, 8 Gaude, virgo, bona A. — 9, 9 In qua gaudet CDK. — 10, 1 Gaude, gaude D. — 10, 5 Dei filios H; tuos famulos G. — 10, 8 errat C. — 10, 9 fehlt K; ac scienter A. — 11, 2 quam libenter DI. — 11, 3 und 4 umgestellt CDGIK. — 11, 3 te frequenter CDGHK. — 11, 4 Venerantes reverentes H. — 11, 6 prae maerore A. — 11, 7 in morte tui Christi CDK. — 11, 8 Dura illa in G. — 11, 9 Clavorumque in G. — 11, 10 altissima A. — 12, 3 Carbo, lampas, fax CDGHK. — 12, 4 insignis et pusilla C. — 12, 7 Fortis est in corde G. — 12, 10 ardet I. — 13, 1 amoroso A. — 13, 2 Consolamen luctuoso A; Consolamen fructuosa C; Consolamen luctuosa I. — 13, 3 Sapit G. — 13, 5 Tu cordis mei gaudium G. — 13, 7 Laetabunda, rubicunda H; Reverenda, rubicunda G. — 13, 9 atque ridet A. — 13, 10 Corda vincis omnium A; Nam corda vincis H. — 14, 2 De te gaudet qui D. — 14, 4 Amplexatur GH; non vexatur CG. — 14, 5 Totum in te capitur A; Sed totus in te D; Et totum in te CGHK. — 14, 9 Tu quem amas CHK. — 14, 10 O felix, qui te H; Beatus, qui te CK; Laetus, qui te D. — 15, 3 Quod a motu vix fehlen H; conquiescit H. — 15, 4 Et gemiscit G; et frigescit D; non frigescit K; nec frigescit I. — 15, 6 Mea mecum tu A; Eia mea sim in G; Tota mea tu in H. — 15, 7 Tuus ero te DGHK; Tua ero te C. — 15, 9 Immo tota mecum eris C. — 16, 4 Sola ipsa tu G. — 16, 5 Tu fehlt G; fiola D. — 16, 7 Planda I. — 16, 10 Fac ut spernam frivola CDK; Ut semper spernam frivola G. — 17, 3 Plena rosis intus H. — 17, 4 Fons decoris D; Vox decoris P. — 17, 5 Et fehlt A. — 17, 6 laudum P. — 17, 10 Et meum desiderium CDHK. — 18, 1 Gaude, rota H. — 18, 2 Vivis gemmis AP; coronata P. — 18, 3 es praeclara C. — 18, 7 lucet D. — 18, 9 Cuius honor est CK. — 18, 10 Quis potest C; fari singula G. — 19, 1 aspectu CH. — 19, 2 Amor vivit in P; Ardet amor in K; Amor ardet in D; defectu CH. — 19, 3 Mei cordis patet DK; Qui te amat corde fuit P. — 19, 4 Mea scatet iam A; Ad te fugit, post te ruit P. — 19, 5 iam propra K. — 19, 6 vile meum I; Intra, dulcis, meum lectum D. — 19, 7 Tuum natum fer D. — 19, 8 sterne tuum G. — 20, 2 In quo lucet CDK. — 20, 3 Tuos semper huc C; Tuos servos hic D; haec in vita

I; hic in vita P. — 20, 4 Egressurum hac de vita CDK. — 20, 5 Tu fehlt AD; Trahe me in altera CFGK. — 20, 6 Dulce nobis est D; O quam dulce est G. — 20, 8 Lingua tamen obmutescit I. — 20, 9 Sed vox cordis non K; Et vox cordis CP. — 21, 3 tui spiritalis G. — 21, 4 Sponsi commensales D; Sponsi tui curiales I; Tui sponsi curiales G. — 21, 5 Canentes novum canticum CGK; Cantantes novum D; Canentes laetum H. — 21, 8 Suavis tua D. — 22, 1 Gaude, quae vis, ut quaeraris H. — 22, 2 Diu tamen non moraris H. — 22, 5 Caritatis brachio A; Cum caritatis I. — 22, 6 vadam CDHK. — 22, 7 loquar C; Ubi loquimus[!] in secreto D. — 22, 8 Haec, quae peto, dabis H; Hoc, quod peto, prompte dabis CK. — 22, 10 Dicens: ecce, venio K. — 23, 1 Gaude, mater, gaudens plaude CDFGKM; Gaude mire, gaude, gaude G; Gaude semper, gaude, gaude I. — 23, 2 Habens me C. — 23, 3 Gaude, cui est gaude mere A; Gaude gaude mire, plaude D; Gaude mire, gaude mere GIK; Gaude mere, gaude vere H. — 23, 4 me tecum D. — 23, 5 Gaudentium laus, Maria D. — 23, 6 more miro CDHIK; Gaude, more miro D. — 23, 7 absque viro CK. — 23, 8 iuva precor H. — 23, 9 te non sequor CDGHK; Nam sanctorum tu es decor I. — 23, 10 Allectis amicitia A; Paris salva materia I. — 24, 1 super illud Ave D. — 24, 2 Cordi tuo CHK. — 24, 3 Totus Christus Deus A; Totus, totus Deus I. — 24, 4. Totus tecum G; Tota tecum D; totus tecum H; tota tecum G. — 24, 5 Tecum mea anima A. — 24, 7 Cum te nostra CDK: Quod cor nostrum te H. — 24, 9 Assis dictis dum A. — 25, 1 quae non D. — 25, 2 O quam dulcis C; cum gustaris H. — 25, 3 Amor tuus rivus vivus D; Amor vivus tuus rivus I; Rivus tuus amor vivus K. — 25, 4 diffusivus G. — 25, 5 O felix, quam inebrias A. — 25, 7 Sed amare CDK; Scit amare H; quis nequibit G. — 25, 10 Me famis K; abicias CDGK. — 26, 1 nostra dives D. — 26, 3 Et non mera caritate A; Et in veritate D. — 26, 5 Scis, quia te desidero CGK; Scis quod te D. — 26, 6 Vivas, vivas A; Vivens, vivens G; Dives vives K; Dives vivens vives semper D. — 26, 8 Is fehlt D; dicet A; tibi dicet CK. — 26, 9 stet in laude A. — 26, 10 In sanctorum numero A. — 27, 2 in amore CDHK. — 27, 4 Qui amare te addiscunt BCHK; Qui amare post te gliscunt D; Qui amare plus te gliscunt I. — 27, 5 non alteram K. — 27, 7 Omni flore adornata B. — 27, 8 Cuius fulgens D; Cuius sol est indumentum I. — 27, 9 Est candoris blandimentum CDK; Et candoris blandimentum B. — 27, 10 Honorans caeli CGK; Adornans caeli B; Tu decorans caeli H. — 28, 2 In qua ACK; nitet noster I. — 28, 3 und 4 umgestellt G. — 28, 3 De qua A; Ex qua G; flos decorus A. — 28, 4 De qua A. — 28, 6 O amoena A; O Maria, vitae vena F; Gaude, amoena vitae H. — 28, 7 mens amoena D. — 28, 9 Perit vadens male cadens A. — 28, 10 Surgentem fove H. — 29, 1 Gaude, clara DFG; Gaude gara C; valde cara FG. — 29, 2 Tu Maria, tu amara C [lies tu non mara?]; Tu suavis non B. — 29, 4 O quam dulcis A. — 29, 5 Non satur est K; Nam satis est, quod satias I. — 29, 9 Me frequenta, me DGK; Me sustentata me frequenta C. — 29, 10 abicias CGK. — Str. 29 fehlt B. — 30, 1 O Maria ad te B. — 30, 3 Ave, tibi gaude A; Gaude, tibi Ave D. — 30, 5 Totis meis viribus A; Et totis sequor viribus B; Et cum totis viribus CDGK; Sed non meis meritis I. — 30, 7 Iesum natum pro me B. — 30, 9 Tibi datur quod CD. — 30, 10 Pir angelorum C; angelorum inclitis I. — 31, 2 expurgatrix A; expiatrix H. — 31, 3 Lapsum leva, foedum lava GH; Lassum leva, foedum B; Leva lassum, foedum CK; Leva fessum, foedum D. — 31, 4 Terge, dele A; Terge, terge GH; Tege, tege D; Terge, rege CK; Terge, tege B. — 31, 5 Da caste, caute CDH; Da caste semper G; Da casta carne K. — 31, 6 Gaude, viror D. — 31, 7 autem tantum carens I. — 31, 8 Tuo fervens in A. — 31, 10 Et meditetur D. — Strophe 32 fehlt DGK. — 32, 2 magni humi maris I. — 32, 3 speculari I. — 32, 4 Natum Deum B; contemplare I. — 32, 5 Cum omni H; In sua BC. — 32, 10 In suo vivo B. — 33, 3 Incentiva A; castitatis D. — 33, 4 Christo caris sacris D; Christianis cara satis A; Exemplar humilitatis B. — 33, 5 Super modum K; Nimis nam amabilis A. — 33, 6 Meum gaude N; Gaude meum audi, audi A; gaudens audi BH; fovens

audi F. — 33, 7 Haec inscribe H; inscribo G; inscribens I. — 33, 8 sit dulce, sit suave D; dulce et suave A. — 33, 9 Te ut laudem, mihi fave B. — 33, 10 Virgo desiderabilis B. — 34, 1 Gaude, virgo carens D; Gaude, cara carens FGK. — 34, 2 Quae sis digna sic A; Quae es digna sic K; Quae sic digna sit CD. — 34, 3 Quam amare, quam sitire D. — 34, 4 Tantam, talem ut te scirem A; cum hoc scirem B. — 34, 5 Quod nullam H. — 34, 7 Mundi cordis grata B. — 34, 8 Ne sit amor sine A; Ut sit amor sine H. — 34, 9 In hac vita mecum A; Hac in nocte CGK; In hac hora B. — 35, 1 puritatis H. — 35, 3 amplectenda A. — 35, 5 Sed fehlt AI; Salutata I. — 35, 6 sqq. fehlen H. — 35, 7 dans affectum CDK. — 35, 8 simul collaetemur B; — 35, 9 Te et Christum deprecemur A; Te et natam complectemur B; In quo Christum contemplemur G; Et cum Christo conectemur CD; Et in Christo conectemur K. — 35, 10 et perenniter B. — 36, 1 Gaude, plaude, cara CBF GK; Gaude semper, cara M. — 36, 3 somni vapor G. — 36, 4 Sit amandis dulcis A; Et amoris dulcis GI; Dulcis sit amoris H. — 36, 5 Et fehlt G; Et dulce D. — 36, 6 Me circumda, o iucunda C. — 36, 7 Manu caritatis D; Virtutibus et cor B. — 36, 8 Ut amore A; consuescam D. — 36, 9 Te amando C; Et cessare non D. — 36, 10 Te da mihi in H; Da modo te in D. — 37, 1 Gaudens gaude tota B; Gaude semper tota CDGK. — 37, 2 Audi supplex vota C; Audi clemens vota DGK; Libens audi vota B. — 37, 3 Gaude, laeta plus CGK; plus et satis I; Virgo generositatis B. — 37, 4 meae puritatis K. — 37, 5 In tuis sonent BCDGK. — 37, 6 Cara mea requiesce IK; Clara mea D; Cara mater A; Iam dilecta BM. — 37, 7 Fac me tecum semper esse B. — 37, 8 Totum me tibi CK; Totum tibi me D. — 37, 9 Excusa, virgo, quod offendo H. — Nach Str. 37 hat B noch folgende anderwärts entlehnte Strophen:

38. Gaude, virgo principalis,
Atque decor virginalis,
Per quam amor emicuit
Et in mundo floruit
Ut lilium inter spinas.
Gaude, virgo, decus moris,
Cuius nomen est flos floris,
Amoris flos et gaudii,
Flos aeterni palatii
Flagrans super angelicas[!]

39. Gaude, decus ecclesiae,
Mater misericordiae,
Virgo mitis et benigna,
Sola bona, sola digna
Omni laude et honore.
Gaude, regina nobilis,
Virgo incomparabilis,
Cuius corpus est puritas,
Novitatum novitas,
Salvans omni tempore.

FG schliessen mit den Versen:

O fons dulcoris, rutilans pia virgo Maria,
Omnibus his horis suavis haec tibi sit melodia.

„Incipit iubilus beati Bernardi abbatis de gaudiis Mariae“ A; „Dulciloquium beati Bernardi ad beatam virginem“ L; „Incipit soliloquium beati Bernardi, abbatis Claraevallensis de laude beatissimae ac gloriosissimae semperque virginis Mariae“ D; „Dulciloquium beati Bernardi ad beatam virginem ad singulas diei horas“ N; „Item quidam presbyter devotus, nomine Iosephus, composuit sequentem orationem de beata virgine“ K. — Das Gedicht Bernhard zuzuschreiben, geht um so weniger an, als dasselbe nur in deutschen Handschriften vorkommt und zweifellos deutschen Ursprungs ist; mehr Vertrauen verdient die Angabe von K. Ist das Ursula-Lied O vernantes Christi rosae von Hermann Ioseph von Steinfeld, dann möchte man versucht sein, in ihm auch den presbyter devotus, nomine Ioseph, zu suchen; so verwandt erscheinen die Lieder.


64. De beata Maria V.

- | | |
|--|--|
| Gaude, rosa speciosa,
Gemma splendens pretiosa,
Virga Iesse fructuosa,
Deum caeli peperisti, | Ne in mundo hoc cadamus,
Te iuvante evadamus,
Lapsi per te resurgamus.
Virgo dulcis parens, |
| 5. Mundo lapsa succurristi,
Nexum mortis denexisti.
Virgo Dei sanctissima,
Tu pax mundi tutissima
Et vitis fecundissima. | 40. Tactu viri carens,
Miro modo peperisti,
Deum caeli genuisti,
A quo facta tu fuisti,
Per quem virgo remansisti. |
| 10. O mater virtutum,
Servis tuis scutum
Semper praebere tutum,
Ut hostes pravae sortis
Ipsi vincant fortes, | 45. Tu in mundo es electa
Et ab ipso es protecta,
Cuius mater es dilecta.
O res mira, virtus mira,
Illibata permansisti, |
| 15. Ne malorum sint consortes.
O Maria, mater pia,
Mundi salus, vitae via,
Opem a te quaero,
Mater, non despero, | 50. Natum tuum praemisisti,
Ad cuius dextram resedisti,
Quando mundum reliquisti.
Ibi semper veneraris
Et cum ipso gloriaris. |
| 20. Sed iuvamen spero.
Solve tu meorum
Vincla peccatorum,
Lumen angelorum.
O fons indeficiens, | 55. O quam pium est laudare
Matrem Dei et amare,
Quae laudantem protegis
Nec plorantem despicias,
Sed quasi mater respicis. |
| 25. Ad te curro sitiens,
Dulcis et reficiens,
Imple desiderium
Cordis et suspirium,
Dulce refrigerium. | 60. Gaude, mater pietatis,
Gaude, norma caritatis,
Gaude, via sanctitatis,
Gaude, virgo castitatis,
Gaude, templum trinitatis. |
| 30. In me robur insere,
Ut hostem possim vincere
Et semper tecum vivere.
Mater dulcis, nos dignare
Tua laude confirmare | 65. In manus tuae pietatis
Me lux commendo claritatis,
Ut me mundes a peccatis
Ac me loces cum beatis
In caelis glorificatis. |
| 35. Et virtute roborare, | |

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.
— 6. Nexumque. — 7. O virgo. — 10. O virtutum mater. — 56. Te Matrem.

65. De beata Maria V.

- | | |
|---|---|
| 1. Gaude, salve, misso rore
Exortus est flos de flore,
Fructu cuius et odore
Respirant caelestia.
Ius naturae permutatur,
Cum flos flore fecundatur,
Et de flore fructus datur
Per quem vivunt omnia | 2. Hoc nescivit ius natura,
Ut naturae contra iura
Mater esset virgo pura
Absque viri semine.
Haec est mater singularis,
Mater veri salutaris,
Iure dicta stella maris,
Quae illustrat lumine. |
|---|---|



- | | |
|---|---|
| <p>3. Flos de flore procreatus,
Hic est puer nobis natus,
Sceptrum sui principatus
 Ferens sine crimine.
Hoc prophetae praeviderunt
Et in scriptis redegerunt
Futurumque praedixerunt
 De Iesse propagine.</p> <p>4. Benedicta sit propago,
Ex qua nata est virago,
Per quam datur, ut imago
 Reformetur hominis.
Sed et caelum obscuratum
Protoplasti per peccatum
Iustis patet reseratum
 Nunc per partum virginis.</p> | <p>5. Haec est mater illibata,
Porta semper obserata,
Post et ante consignata,
 Summi regis annulo.
Virgo fuit fecundata,
Virgo mansit prole data
Nec in partu est privata
 Castitatis cingulo.</p> <p>6. Gloriosa mater Dei,
Fundamentum nostrae spei,
Huius attende diei
 Preces et praeconia.
O praeclara maris stella,
Natum tuum interpella,
Ut de mundi nos procella
 Perducat ad gaudia.</p> |
|---|---|

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1 a, 1 ist offenbar verändert; lies: De supernis misso rore oder ähnliches. — 4 b, 4 per fehlt. — Vielleicht Sequenz.

66. Ad beatam Mariam V.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Gaude, salve, templum Dei,
Mater veri Nazarei,
Tu, quam matrem vocant rei,
 Da mihi, quod cupio.</p> <p>2. Creatoris creatura,
Pia, dulcis, casta, pura,
Tu, quae boni es datura,
 Da mihi, quod cupio.</p> | <p>3. Digna laude angelorum,
Lux et vita peccatorum,
Tu, quae mater es reorum,
 Da mihi, quod cupio.</p> <p>4. Mater nostri creatoris,
Quae es clemens cunctis horis,
Tu, quae plena es dulcoris,
 Da mihi, quod cupio.</p> |
|---|---|

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

67. De beata Maria V.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Gaude, sanctae trinitatis
Templum sacrum, puritatis
 Turris tu fortissima,
Plus quam nectar est amandum
Tuum nomen venerandum,
 O virgo pulcherrima.</p> <p>2. Est exorta veritas
De te et benignitas,
 O spes animarum,
Fructus venit nobilis
De te, terra fertilis,
 O pulchra rosarum.</p> | <p>3. Tu es regis civitas,
Nostra tu es claritas,
 O flos sine spina,
Ortus est altissimus
De te ac altissimus,
 O stella marina.</p> <p>4. Gemma fac nos o decora
Te laudare omni hora,
 Quae cum Deo iubilas,
Carne pulchra, o devota,
Magis mente grata tota,
 Quae prae cunctis rutilas.</p> |
|---|--|

5. Iustis orta lux aeterna
Est per te, porta superna,
Quae in caelis habitas,
Hinc de manu peccatorum
Animabus sit tuorum
Libera securitas.
6. O mira quae multa facis,
Felix tu alumna pacis,
Audi nos hilariter
Novum melos iubilantes,
Corde, voce te laudantes
Adiuvata tu dulciter.
7. In hac vita impugnamur
Crebrius et debellamur
Nos ab hoste fortiter,
Sis columna nobis tegens
Nos cadentes sisque regens,
Ne damnemur iugiter.

Orat. ms. Domus novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt.
Eecl. 375. — 1 a, 1 sancta. — 6a, 1 O Mariae quae.

68. De beata Maria V.

1. Gaude, trina hierarchia
Deum laudet, o Maria,
Sol, stellae, luna, sidera
Pro te, virgo puerpera.
2. Aer cum volatilibus,
Fretum cum natatilibus
Et terra cum reptilibus,
Cunctis cum animantibus.
3. Nix, imbrium stillamina,
Flores, fructus et gramina
Deo pro tua gloria
Dent laudum dona varia.
4. Omne genu caelestium,
Inferorum, terrestrium
Flectatur caeli Domino
Locanti te in gaudio.
5. Omne momentum transiens
Mille millenis gradibus
Trinum Deum glorificet
Pro te tam digna laudibus.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt.
Eecl. 375. — 1, 2 laudat. —

69. Ad beatam Mariam V.

1. Gaude, virgo, et respice
Precesque nostras suscipe,
Peccata iam praeterita
Remitti nobis obsecra.
2. Mole gravati criminum
Ad te reginam omnium
Confugientes poscimus,
Adesto nostris precibus.
3. Aeternae vitae ianua,
Aurem nobis accommoda,
Per quam spes vitae rediit,
Quam Eva peccans abstulit.
4. O virgo, mater iudicis,
Vitam deposce famulis
Et paenitendi spatia
Nobis, oramus, impetra.

5. Exora, virgo, filium,
Praesens confer solacium,
Ut perpetrata nequiter
Purgemus efficaciter.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1, 1 Gaude, virgo, respice, wo die Änderung zu Tage liegt. Lies etwa: Maria virgo oder Beata virgo, oder ähnliches.

70. De beata Maria V.

- | | |
|--|---|
| 1. Gaude, virgo, mater Christi,
Castitatis lilium,
Gaude, quia meruisti
Generare filium,
Quo nascente mundo datur
Salus et remedium,
Et pudoris conservatur
In te privilegium. | Sed da mihi promereri
Lacrimarum flumina,
Quibus possint aboleri
Mea prorsus crimina. |
| 2. Ex te mundo protulisti
Novae legis gratiam,
Primae matris qua lavisti
Inoboedientiam,
Tuae dignum, laude digna,
Laudi quid adiciam?
Omnis tuam laus, benigna,
Decet reverentiam. | 6. Prava multa perpetravi
Post baptismi gratiam,
Mortem mihi comparavi
Per incontinentiam,
Credo tamen, quia Deus
Dat libenter veniam,
Quando veram quisque reus
Agit paenitentiam. |
| 3. O pudicum, o intactum
Deitatis vasculum,
Tuum verbum caro factum
Elegit corpusculum,
Per hanc capis unionem,
Quem non capit saeculum,
Nam per carnis livionem
Non novisti masculum. | 7. Omni regnas creatura
Post Deum sublimius,
Nam in eius te factura
Nihil constat dignius,
Quando tuam precem audit,
Gaudet honor regius
Et in cunctis te exaudit
Sicut matrem filius. |
| 4. Tibi virtus obumbravit
Septiformis spiritus,
Alvum tuum fecundavit
Verbum missum caelitus,
Liberare per te venit,
Quos premebat servitus,
Sed intactam, ut invenit,
Te reliquit penitus. | 8. Pro me ergo depreceris,
Qui ad te confugio,
Tibi enim, si digneris,
Deservire cupio,
Sed quod casto ad incestum
Nulla sit conventio,
Constat esse manifestum
Pauli testimonio. |
| 5. De profundo vitiorum
Ad te clamo, domina,
Quia scio delictorum
Me gravari sarcina, | 9. Tu es sancta et intacta
Ab omni spurcitia,
Summi regis mater facta
Pro tua munditia,
Te non decent incestorum
Horrenda servitia,
Sed castorum, mores quorum
Non sequuntur vitia. |

10. Ego vero sum pollutus
Peccatis innumeris
Atque adhuc involutus
Pannis Aadae veteris,
Sed servare quamvis sero
Redeuntem poteris,
Et immundus iam non ero,
Si pro me rogaveris.
11. Patris ora maiestatem,
Iube unigenito,
Matris illum dignitatem
Audire non dubito,
Sed me ipsum dum attendo,
Quisve sim, recogito,
Meam esse deprehendo
Vitam sine merito.
12. Sed qui tradi se permisit
A suo discipulo,
Quem iniqua plebs irrisit
Adfixum patibulo,
Hic latronem non despexit
In mortis articulo,
Sed ad caelum tunc provexit
De carnis ergastulo.
13. Qui tot passus est dolores
Pro humano genere,
Mori non vult peccatores,
Sed conversos vivere,
Quibus dulcem potionem
Suo fudit latere,
Per quam possint laesionem
Culparum evadere.
14. Ad te ergo fugientem
Admitte, piissima,
Ne repellas paenitentem
A misericordia,
Munda, quaeso, meam mentem
Ab omni spurcitia,
Iuva semper recurrentem
Ad tua suffragia.
15. Fac me castum et devotum
In tuo servitio,
Tua carnis in me motum
Exstinguat oratio,
Nulla meum inhumana
Cor vincat temptatio,
Sed resistat pravae sana
Voluptati ratio.

16. Illud mihi frequentare
Digne da mysterium,
Per quod mundo salutare
Provenit remedium,
Ut inferni devitare
Possim infortunium
Et post mortem habitare
In terra viventium.

Cod. Trecen. (ol. Claravallen.) 1612. saec. 15. — 1, 1 sq. sind beim Binden der Hs. halb weggeschritten; der Text ist nicht mit voller Sicherheit festzustellen. — 2, 7 tua. — 2, 8 Docet. — 3, 6 Quam. — 15, 3 motus.

71. De beata Maria V.

1. Gaude, virgo o Maria,
Gaude, mater Christi pia,
Gaude, paradisi via,
Gaude,
2. Gaude, mater prophetata,
Gaude, virgo salutata,
Gaude, sancta mundo nata,
Gaude, iucundissima.

3. Gaude, virgo singularis,
Gaude, mater salutaris,
Gaude, clara stella maris,
Gaude, praeclarissima.
4. Gaude, mater
Gaude, virgo speciosa,
Gaude, pulchra velut rosa,
Gaude, splendidissima.
5. Gaude, virgo, consolatrix,
Gaude, mater, mediatrix,
Gaude, mater, adiuvatric,
Gaude, benignissima.
6. Gaude, mater orphanorum,
Gaude, virgo, decus morum,
Gaude,
Gaude, sacratissima.
7. Gaude, virgo, maris stella,
Gaude, mater, Dei cella,
Gaude, sapiens puella,
Gaude, discretissima.
8. Gaude, mater honorata,
Gaude, virgo desponsata,
Gaude, nostra advocata,
Gaude, devotissima.
9. Gaude, virgo reverenda,
Gaude, mater metuenda,
Gaude, semper diligenda,
Gaude, amantissima.
10. Gaude, mater virtuosa,
Gaude, virgo gratiosa,
Gaude, pulchra et formosa,
Gaude, candidissima.
11. Gaude, virgo, imperatrix,
Gaude, mater, dominatrix,
Gaude, mater, reparatrix,
Gaude, dilectissima.
12. Gaude, mater salvatoris,
Gaude, virgo, vas honoris,
Gaude, balsamus odoris,
Gaude, felicissima.
13. Gaude, virgo veneranda,
Gaude, mater, adoranda,
Gaude, semper imitanda,
Gaude, solemnissima.
14. Gaude, mater summa Dei,
Gaude, virgo, lux diei,
Gaude, salus nostrae spei,
Gaude, elementissima.
15. Gaude, virgo, lux iustorum,
Gaude, mater peccatorum,
Gaude, spes desperandorum,
Gaude, prudentissima.
16. Gaude, mater pietatis,
Gaude, virgo, flos aestatis,
Gaude, templum trinitatis,
Gaude, suavissima.
17. Gaude, virgo verecunda,
Gaude, mater Dei munda,
Gaude, electa, iucunda,
Gaude,
18. Gaude, mater
Gaude, virgo sine mora,
Gaude, pulchra et decora,
Gaude, lucidissima.
19. Gaude, virgo, mundi cura,
Gaude, mater Dei pura,
Gaude, pulchra creatura,
Gaude, perfectissima.
20. Gaude, mater exaltata,
Gaude, virgo coronata,
Gaude, felix et beata,
Gaude, beatissima.

Cod. Vallicellan. B. 75. saec. 14. — 11, 1 steht hinter 11, 4 u. z. Gaude mater imperatrix gegen den sonst durchgeführten Wechsel in der Stellung von virgo und mater. — 17, 3 electa et iucunda.

72. De beata Maria V.

Incipiam nec deficiam laudare sophiam,
Egregiam sine fine piam laudabo Mariam.

- Gaude, virgo pia, gaude cum prole, Maria,
Gaude, formosa de stirpe David generosa,
5. Gaude, pulchra rosa, plus sole nites speciosa.
Gaude, morosa, mater Christi pretiosa,
Gaude, spe plena, prolem pariens sine poena,
Gaude, virgo bona, tete me, quaeso, corona.
Gaude, matrona, cor contritum mihi dona,
10. Gaude, fecunda, miseros a crimine munda,
Gaude, divina lux, stella vocata marina.
Gaude, laetare, venerantes te venerare,
Gaude, dignare, tecum me glorificare,
Gaude, mel dulce, saevissima pectora mulce,
15. Gaude, cum melle favus, a me noxia pelle,
Gaude, gaudere mihi non licet, immo maerere.
Gaude, cui vere cupio sine fine placere,
Gaude, plaude, vale, scelus ignorans veniale,
Gaude, quae Christi mater fieri meruisti.
20. Gaude, stella, favi me pascis odore suavi,
Gaude, fons fidei, me iunge tuae requiei,
Gaude, plena spei, virgo mirae speciei,
Gaude, sancta Dei genetrix, aurora diei.
Gaude, plena favo, succurre, precor, mihi pravo,
25. Gaude, gaudeto, te laudo pectore laeto,
Gaude, quae fructu potiris, sed sine luctu,
Gaude, quae Christum mundum producis in istum,
Gaude, sanctarum sanctissima, lux tenebrarum,
Gaude, flos florum, consolatrix miserorum,
30. Gaude, quae cleris sicut mater misereris,
Gaude, quae miseris misereri iure teneris.
Gaude, iustorum speculum, medicina reorum,
Gaude, stella maris, nos protege, nos tuearis,
Gaude, rosa rubens, Ioseph virguncula nubens,
35. Gaude, salvatrix, tu nostra reconciliatrix,
Gaude, virgo, datrix morum, virtutum amatrix.
Gaude, iustitiae solem pariens sine menda,
Gaude, tristitiae succurre meae, reverenda.
Gaude, virgo pia, tecum cupio mimis esse,
40. Gaude, casta parens, sperni vereor nimis a te.
Gaude, quae laeta Christo sine fine frueris,
Gaude, discreta virgo, miseris misereris.
Gaude, forma decens, totius fons bonitatis,
Gaude, virgo recens, vere tibi servio gratis.
45. Gaude, terra ferens fructum testante propheta,

- Gaude, virgo maerens Christo mortem patiente,
 Gaude, virgo querens nimum nato moriente.
 Gaude, virgo terens colubri caput inveterati,
 Gaude, virgo gerens verbum patris immaculati,
 50. Gaude, quam quaerens reus invenit acta gemendo,
 Gaude, virgo ferens fructum vitae patiendo.
 Gaude, virgo doli nimis expers, rosa decora,
 Gaude, tuae soboli pro me misero, precor, ora,
 Gaude, filioli, pia virgo, tui miserere.
 55. Gaude, cui vere reges tria dona dedere,
 Gaude, porta poli, succurre, precor, mihi tristi,
 Gaude, virgo, soli regina, Deum genuisti,
 Gaude, cui soli cum prole placere laboro,
 Gaude, digna coli, memor esto mei, reus oro.
 60. Gaude, Davidica de stirpe satis generosa,
 Gaude, morosa mater virgoque pudica,
 Gaude, formosa sponsi caelestis amica
 Gaude, delens crimina, sis peccati medicina,
 Gaude, quae refoles sicut thymiana suave,
 65. Gaude, mater, ave, sanctissima regia proles,
 Gaude, dulcedo maestorum, me tibi dedo,
 Gaude, quam spreto mundo colo pectore laeto.
 Gaude, virgo pia, dictis credens Gabrielis,
 Gaude, laetitia maestorum, virgo fidelis.
 70. Gaude, melliflua mater, regina polorum,
 Gaude, perpetua virgo, miserere reorum,
 Gaude, quae reprimis, quos fallax gloria pascit,
 Gaude, virgo nimis humilis, si dicere fas sit.
 Gaude, quam laeta colo mente libidine spreta,
 75. Gaude, sanctorum sanctissima, lux tenebrarum.
 Gaude, mamilla stillans mellis quasi stilla.
 Gaude, pacifica sponsi caelestis amica,
 Gaude, Davidica proles virgoque pudica,
 Gaude, nos salva, paradisi pervia valva,
 80. Gaude, solamen miseris maestisque levamen,
 Gaude, quos flamen impugnat, tolle gravamen,
 Gaude, peccamen delens fundendo precamen,
 Gaude, certamen contra carnale iuvamen,
 Gaude, proles regia, gaudeto, virgo, Maria.

Orat. ms. saec. 13/14. Cod. Bruxellen. 4588—91. — 26. fehlt eine Silbe; sed ergänzt. — 63. fehlt eine Silbe; sis ergänzt. — 84 regia gaude virgo.

73. De beata Maria V.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Gaude, virgo,
 ut stirps Davidica
 Flos fecundus,
 fructus iucunditatis;</p> | <p>2. Gaude, virgo,
 porta prophetica
 Per quam splendor
 transivit deitatis;</p> |
|--|---|

3. Gaude, virgo,
 arca levitica,
In qua latet
 manna suavitatis ;
4. Gaude, virgo,
 virga Mosaica,
Qua sedatur
 hoc mare tempestatis ;
5. Gaude, sceptrā
 tenens monarchica,
Virgo, regnans
 in regno claritatis ;
6. Gaude, virgo,
 mater deifica,
Nulli claudens
 viscera pietatis,
7. Fac nos carne
 contrita lubrica
Tranquillari
 pace securitatis.

Orationale ms. Campoliliense saec. 15. Cod. Campolilien. 2. — 2, 4 divinitatis. — 4, 3 hoc more. — Das Lied ist eingetragen als Antiphone ad Benedictus.

74. Oratio ad beatam Mariam V.

1. Genus sacrum
 et proles regia,
Patris mater
 et nati filia,
Stella maris
 ad portum praevia,
Feminarum
 super tot milia
Benedicta
 et plena gratia,
Te moveant
 nostra suspiria.
2. Tibi, caeli
 regina, primitus
Mei cordis
 contriti penitus
Cum lacrimis
 effundo gemitus,
In quam summus
 descendit spiritus,
Per quam mundo
 Christus est editus,
Verbum patris
 et unigenitus.
3. Parem tibi
 qui fecit neminem,
Te sibi rex
 elegit virginem,
Quae nescires
 viri libidinem,
Ex qua carnis
 sumpsit originem,
In qua totum
 vestivit hominem,
Angelorum
 restaurans ordinem.
4. Ex te natus
 est Dei filius,
Deus idem
 homo nec alius,
Dicat ergo,
 qui sentit melius,
Cuius opem
 quaeram fidentius,
Ut sit ipse
 mihi propitius,
Quam virginis
 et matris ipsius?

5. O sedibus
locata superis,
Restauratrix
humani generis,
Cunctis semper
succurens miseris,
Audi, precor,
clamorem pauperis,
Funde preces
et ne tardaveris,
Quas si fundas,
nunquam frustraberis.
6. Virgo semper,
sola puerpera,
Cuius ipsum
portarunt viscera,
Quem capere
non possunt aethera,
Nato tuo
precando impera,
Mei cordis
ut sanet vulnera,
Quae commisi,
remittens scelera.
7. Terrae, mari
qui solus imperat,
Caelos regit,
et stellas numerat,
Malos punit,
iustos remunerat,
Tibi favet,
paret, obtemperat,
Quos diligis,
a morte liberat,
Quibus claudis,
ipse non reserat.
8. Mundi salus
et caeli gaudium,
Tuum nimis
offendi filium,
O heu, miser,
infelix nimium,
Quis se dabit
mihi propitium,
Si desistat
salvatrix omnium,
Cui parcere
semper est proprium?
9. Cor igitur
levans cum manibus
Meis terrae
fixis poplicibus,
Tuis, ecce,
prosternor pedibus,
Fundens preces
plenas gemitibus
Non cessabo
diebus omnibus,
Donec caeli
me iungas civibus.
10. Amen dicat,
quae pedes fletibus
Iesu lavit
et tersit crinibus.
Et rediit
munda criminibus,
Post haec fragrans
eius muneribus
Sublimatur
caelorum sedibus,
Sub te regnans
regnis caelestibus.

Orat. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Parisien. 18571.

75. Oratio ad beatam Mariam V.

1. Gloriosa mater Dei,
Memor esto semper mei,
Mei semper esto memor,
Quem peccati terret amor.
2. Quae ad dicta Gabrielis,
Paranymphi tam fidelis,
In auditu oboedisti,
Quando Christum concepisti,

3. Verbum illud, verbum Dei,
Per quod salvarentur rei.
Audi, virgo, verba mea,
Spes et salus, vita mea,
4. Audi vota supplicantis
Te devote reclamantis;
Audi, inquam, paenitentem,
Prae peccatis iam foetentem.
5. Pro peccati nam sentina
Instat mea iam ruina,
Sis ruenti medicina,
Assis, clemens o regina.
6. Ab aetate puerili,
Et, quae fervet, iuvenili
Incentivo velle tremor,
Criminali mole premor.
7. Haec est via peccatorum
Et voluptas vitiorum,
Quae ad portas ducit mortis
Me sub huius rosa sortis.
8. Instat serpens inimicus
Ille fallax et antiquus,
Qui me quaerit absorbere
Et absorptum retinere.
9. Sed tu, stella maris pia,
Peccatorum spes, Maria,
Flos et odor beatorum
Super choros angelorum,
10. Munda, quaeso, criminali
Me squalentem sorde mali
Dignitate speciali,
Qua fulges sic, virginali.
11. Age, precor, age, sancta,
Quia vides, mala quanta
Nunc invadunt corpus meum,
Super omni reo reum.
12. Conculcatum hostis planta
De draconis fauce tanta
Libera me, mater Dei,
Hora mortis et diei.
13. Fac me Deo vas pudicum,
Vastransgressumperantiquum
Seductorem inimicum,
Ne me trahat in Avernum.
14. Pietate, qua redundas,
Lacrimarum flentis undas,
Virgo, cura sic discerni,
Ne me claudat os inferni.
15. Non despero de salute,
Licet mea iuventute
Mea fuit semper vita
Vitiorem mole trita,
16. Si ob tuam genetricem
Animam vis peccatricem
Exaudire, pie Deus,
Qui compungor culpa reus.
17. Nam si fides adprobatur,
Quies sacra praedicatur,
Est insanus christianus,
Qui non credit, quia manus
18. Dei clemens est et praesto,
Si contritus corde maesto
Interpellat pietatem
Per Mariae dignitatem.
19. Quia multis argumentis
Licet horis et momentis
Sacra docet nos scriptura
Paenitentis semper cura
20. Ad exemplar creatorum
Dominum angelorum
Ostendit se ipsum Deum,
Non condemnans statim reum.
21. Nam qui Petrum se negantem
Non despexit lacrimantem,
Non despexit, sed respexit,
Cum se reum flens detexit,
22. Et latroni pro Memento,
Quod clamavit in momento,
Dedit locum paradisi,
Mea culpa quem amisi,

- | | |
|--|--|
| 23. Heu, mihi nisi Deus
Reddat illum, pater meus,
Et Mariae Magdalenae,
Delictorum labe plenae, | 28. Sibi clemens indulgebat,
Cum peccasse paenitebat.
Ad hoc ergo, rex, exemplum,
Pietatis fons et templum, |
| 24. Omne crimen condonavit,
Quando pedes eius lavit,
Quas rorarat intimarum
Pio rore lacrimarum. | 29. Quem adoro, quem imploro,
Omni laude quem honoro,
Cui pronus genuflecto,
Cui totum me committo. |
| 25. Nunc tergebat, nunc rigabat,
Veniam sic postulabat,
Cum sub mensa pharisaei
Degustaret verba Dei. | 30. Dele meam pravitatem
Per maternam pietatem
Atque ultra publicanum
Ingementem christianum |
| 26. Ubi Deus phariseo,
Pharisaeus quidem Deo,
Deus autem ut benignus,
Pharisaeus ut malignus, | 31. Ab hostili laesione
Et a mortis regione,
Qui peccanti misereris,
Liberare me digneris. |
| 27. De submissa peccatrice
Concertabant versa vice.
Nostrae actor bonitatis,
Radix tantae caritatis, | 32. Miserere mei, Deus,
Tot malorum qui sum reus,
Adonai Iesu Christe,
Ad te clamat miser iste; |

Ad te clamat timor meus,
Miserere mei, Deus.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19824. saec. 15. A. — Orat. ms. Tegurinum
saec. 15. Clm. Monacen. 20001. B.

76. De beata Maria V.

- | | |
|--|---|
| 1. Imperatrix angelorum,
Regina archangelorum,
Mater regis saeculorum,
Salve, virgo virginum. | 5. Ave, Dei gloriosa,
Mater Dei pretiosa,
Stella maris luminosa
Sicut solis radium. |
| 2. Ave, salus peccatorum,
Consolatrix miserorum,
Salve, spes desolatorum,
In te confidentium. | 6. O benigna gratiosa,
Multum virgo speciosa,
In hac valle lacrimosa,
Da nobis auxilium. |
| 3. O regina mirabilis,
Clemens et ineffabilis,
Mater Dei et hominis,
Ora pro nobis filium. | 7. Ave, vas munditiae,
Fons misericordiae,
Portus indulgentiae
Via navigantium. |
| 4. O Maria laudabilis,
Sanctissima et humilis,
Succurre nobis miseris
Ad nostrae mortis exitum. | 8. O puella virginalis,
Sponsa Dei specialis,
Non fuit in mundo talis
Inter choros virginum. |

- | | |
|---|--|
| 9. O regina singularis,
Quae Maria nominaris,
Salva nos a cunctis malis
Et da verum gaudium. | 11. O virgo sacratissima,
Super omnes purissima,
Esto nobis propitia
Pro salute fidelium. |
| 10. Ave, virgo castissima,
Mater Dei sanctissima,
Spes nostra o dulcissima,
Confer nobis remedium. | 12. Pia mater amabilis,
Ora pro tuis famulis,
Ne pereant cum miseris
In inferni supplicium. |
| 13. Christe, fili Dei patris,
Pro amore tuae matris
Colloca nos cum beatis
In caeleste palatium. | |

Cod. S. Floriani XI. 172. saec. 15. — 3, 2 et fehlt. — 4, 4 Ad mei mortis. — 7, 3 Et portus. — 7, 4 Et via. — 9, 4 Et da nobis vera gaudia. — 10, 3 o fehlt.

77. De beata Maria V.

- | | |
|--|---|
| 1 a. Imperatrix gloriosa,
Tu de spina candens rosa,
Genuisti liliū, | 1 b. Virginalis famae glosa,
Pro gente facinorosa
Tuum ora filium. |
| 2 a. Tu es stella matutina,
Claritatis lux divina,
Castitatis liliū, | 2 b. Nos a sceleris sentina
Mundans et mala vicina
Fuga, laus humilium. |
| 3 a. Miseratrix, larga mater,
Cum nos temptet hostis ater,
Miserere supplicium;
Mediatrix, Deus pater
Te fecit vas publicum
Suo nato, quem rogato
Pro nobis maerentibus, | 3 b. Ut prostrato hoste lato
Det pacem pereuntibus.
O regina mundi pia,
Adiuva nos in hac via
Miseros et exsules,
Columbina tu Maria,
Fac nos caeli proceres. |

Clm. Monacem. (ol. Alrispacem.) 2548. saec. 12. add. ^{13/14}.

78. De beata Maria V.

- | | |
|---|---|
| 1. Impudenter circūvi
Solum, quod mare terminat,
Indiscrete concupivi,
Quidquid amantem inquinat. | 3. Porro, cum amor et amo,
Mater aenea media,
In momentaneo spasmo
Certaminis materia. |
| 2. Si amo, forsā non amor,
Tunc pro mercede crucior,
Aut amor, nec in me amor,
Tunc ingratus efficior. | 4. Ex quo caro longe foetet
Ad amoris aculeos,
Quos igitur ultra petet
Veri amoris aereos. |

5. Fas est vel non est amare?
Fas est. Quam ergo virginem?
Quae meruit baiulare
Verum Deum et hominem.
6. Meruit quae virtuosa,
Prae cunctis plena gratia,
Potens, munda, speciosa,
Dulcis humilis et pia.
7. Cum quis hanc amat, amatur,
Est ergo grata passio
Sui amor, quo beatur
Amans amoris bravio.
8. O Maria, virgo parens,
Meum sic ure spiritum,
Quod amori tuo parens
Amorem vitem irritum.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Canpen.) 883. saec. 14/15. — 1, 4 Quidquid amat coinquinat. — 2, 1 Sic amo. — 3, 2 enea; vielleicht ist der unverständliche Vers verschrieben.

79. De beata Maria V.

1. In camino crepitas
artae paupertatis,
Scelere sub proprio
venumdatus gratis,
Pretium, quo consequar
statum libertatis,
A te supplex flagito,
mater pietatis.
2. Tutus tibi supplico,
neminem cum spernas
Nec poscentis veniam
merita discernas,
Nam te invocantium
maculas veternas
Consuevit tergere
gratia, qua vernas.
3. Quidquid petit indigus,
praebes affluenter,
Circumventum nequiter
eripis prudenter,
Captum iam ab hostibus
liberas potenter,
Restaurando perdita
cunctis competenter.
4. Omnis adversantium
dolus illi cedit,
Qui tuae clementiae
se et sua credit,
Dulcem habet medicam,
quisquis ad te redit,
Quia tua pietas
sanat, quidquid laedit.
5. Manus unguentarias
habes, virgo mitis,
Quibus pie subvenis
cordibus contritis,
Nam cum in dulcedine
larga sis et ditis,
Opem ferre miseris
quasi semper sitis.
6. Hinc est, quod multiplices
trahis post te praedas,
Nec personas despicias
quantumcunque foedas,
Et quia petentibus
incunctanter te das,
Omnibus subveniens
omnem pestem sedas.
7. In te nihil asperum,
nihil est austerum,
Omnibus antidotum
exhibes sincerum,
Et, ut cunctis liqueat
illud esse verum,
Libet hoc exprimere
per figuras rerum.
8. Tu es hortus germinans
hysopi virorem,
Qui letalem reprimit
pectoris tumorem,
Tu es rosa rutilans
super omnem florem,
Carnis more lilii
mitigans ardorem.

9. Tu es mentis sauciae
nardicum unguentum,
Marra probatissima
membris paenitentum,
Tu es melos tristium
leniens lamentum,
Tu amoris pabulum,
virtus et fomentum.
10. Tu es caecis oculus,
tu es pes claudorum,
Tu es aegris baculus,
tu es vox mutorum,
Tu es portus naufragis,
tu es spes lapsorum,
Tu es nutrix sedula
Christi parvulorum.
11. Tu es mensa pauperum
panibus referta,
Civitas refugii
profugis aperta,
Fons fecundans arida
cordium deserta,
Palma dans victoriae
paenitenti sarta.
12. Vellus es virtutibus
vestiens algentem,
Area, quae tritico
sacro pascis mentem,
Rubus ardens animam
faciens ferventem,
Thronus reis providens
iudicem clementem.
13. Tu amoris fornax es
vitia cremando,
Pietatis fluvius
castos dealbando,
Tu es David cithara
daemones fugando,
Tu eiusdem clavis es
caelos reserando.
14. Tu es tabernaculum
in deserto stratum,
Quod in monte fuerat
Moysi monstratum,
- Tu cortina praeferens
mysticum ornatum,
Tu retorta byssus es
signans caelibatum.
15. Tu es sicca virgula
dans repente nuces,
Tu ascendens puteus,
quem parabant duces,
Tu lucerna Domini,
nam exemplis luces,
Monstrans, per quam semitam
tuos hinc educes.
16. Tu es Sara pariens
risum mando flenti,
Tu Rebecca fidem dans
Isaac cernenti,
Rachel Iacob attrahens
facie decenti,
Lia gratam subolem
addens tuae genti.
17. Tu es Iudith auferens
caput Holoferni,
Esther pati nesciens
suam gentem sperni,
Iael, per quam novimus
Sisaram prosterni,
Debora, qua populi
victi sunt externi.
18. Tu es illa Noëmi
valde speciosa,
Tu es Ruth humillima,
cunctis gratiosa,
Virum Dei hospitans
in te gloriosa,
Per quam reparata sunt
monstra ruinosas.
19. Et quis posset scribere
verba, res et signa,
Quibus praesignata es,
virgo Deo digna,
Vere qui te colere
studet, o benigna,
Illum nunquam fallere
potest ars maligna.

20. Hac de causa veniens
ad te, virgo clemens,
Pro commisso merito
pavidus et tremens,
Toto corde deprecor,
ut me iuves premens
Dolos, quos multiplicat
in me hostis fremens.
21. Inexhausta bonitas,
quae gementes audis
Et ad vocem pauperis
nunquam aures claudis,
Per te si recesserit
commentator fraudis,
Tibi sacrificium
immolabo laudis.
22. Ha, quid dixi putridus
et foetidus vermis,
Quasi tibi pariat
aliquid honoris,
Si te commendaverit
mei flatus oris,
Cum adpretianda laus
non sit peccatoris.
23. Vere non sufficerem
ego, scurra vilis,
Laudes tuas scribere,
licet mille stilis,
Sed in tabernaculo
placuit exilis
Pauperum oblatio
de caprarum pilis.
24. Sic est, dulcis domina,
nihil dignum dare,
Nihil meritorium
possum allegare,
Tamen more pauperum
discam mendicare,
Si quas forte miculas
possim impetrare.
25. Ecce, virgo regia,
potens imperatrix,
Cum pulsat ad ostium
anima peccatrix,
- Illam ne despicias,
pia mediatrix,
Quae es confidentium
in te propugnatrix.
26. Sane non inveniam
in sanctorum vico,
Qui det elemosynam
pauperi mendico
Aut ostendat hilarem
vultum ut amico,
Si me fons clementiae
spernat, de te dico.
27. Sed cum in te gratiae
summa sit ubertas,
Per quam servis perditis
redditur libertas,
Mea te largissimam
sentiat paupertas,
Cum a nullo paupere
faciem avertas.
28. Caeli cellularia,
pietas immensa,
Qua sustentas pauperes,
nunquam est expensa,
Tua quippe dextera
semper est extensa
Ad pascendum pauperes
de caelesti mensa.
29. O quam multos habeo,
sacra virgo, testes,
Quod abunde miseris
hoc, quod petunt, praestes,
Nullus enim amat te,
quem tu non honestes,
Sanans efficaciter
cordis eius pestes.
30. Hoc est, benignissima,
tibi quod allego,
Scilicet quod miserum
esse me non nego,
Nam misericordiae
matrem cum te lego,
Cum sim miser, mereor
esse tuus ego.

31. Tuus dico, domina,
qui sum tui iuris,
Cuius est succurrere
cunctis perituris,
Homicidis, furibus,
moechis et periuris,
Ad radicem quorum est
posita securis.
32. Dulcis virgo, talibus
dedit te patronam
Ille, qui non hominum
accipit personam,
Te demonstrat pauperi
caeli dans annonam
Et merenti despici
gloriae coronam.
33. Talium te flebilis
sequitur caterva,
Sicut currunt hinnuli
praeunte cerva,
Istum miserabilem
gregem tu conserva,
Ne laedatur rabie
daemonum proterva.
34. Unus sum de miseris
ego, qui mundanum,
Heu, non cavi laqueum
habens cor insanum,
Cum mendicis ceteris
ad te tendo manum,
Cuius nemo gratiam
quaesivit in vanum.
35. Et quis unquam Mariae
nomen invocavit,
Qui non a doloribus
suis respiravit,
Aut quis ab incurisibus
daemonum expavit,
Si se dulci nomine
virginis armavit?
36. Quid nomen Mariae est,
nisi quoddam scutum,
Quod repellit undique,
quidquid est versutum,
- Eo qui protegitur,
sic se sentit tutum,
Quod non timet daemonis
iaculum acutum.
37. Si Mariam nominas,
daemon expavescit,
Si Mariam invocas,
caro conticescit,
Si Mariae supplicas,
mundus hic vilescit,
Si Mariae iubilas,
tuum cor ignescit.
38. In Mariae nomine
caeli fluunt mella,
Cessant maris turbines,
cedit et procella,
Si te fluctus presserint,
ipsam interpella,
Ad hoc enim dicitur
virgo maris stella.
39. Si te forte senseris
taedio languere,
Ad virtutum opera
mentem non fervere,
Stude nomen virginis
huius recensere,
Et te statim senties
spiritu vigere.
40. Cum istius nominis
mentem sapor tangit,
Intus et exterius
cessat, quidquid angit,
Porro cum vocabulum
pie lingua pangit,
A reatu solvitur
culpa, pro qua plangit.
41. Sed iam metra finiens
precor, virgo pia,
Ut sis in his tenebris
mihi lux et via,
Misero solacium,
maesto melodia,
Donec te, dulcissima,
videam, Maria.

80. De beata Maria V.

- | | |
|---|--|
| 1. In hac die gratiae
Tuae et clementiae
Matrem te ostende,
A qua fluit pietas
Quaevis et benignitas,
Quam, quaeso, impende. | Ob hoc ad te confluit
Mundus, cui influit
Pietate grata |
| 2. Cunctis te colentibus
Cunctis te petentibus
Da desiderata, | 3. Bonitas mirabilis
Cunctis et amabilis
Tua gratiosa,
Veniat celeriter,
Dans nobis feliciter
Cuncta virtuosa |
| 4. Et sursum ascendere
Donet et arripere
Loca gloriosa. | |

Orat. ms. Montis S. Georgii (extra muros Goslarienses) anni 1464. Cod. Guelfenbyteran. Helmst. 1391. — Das Lied steht auch bei Milchsack I, 64 nach unbekannter Quelle ohne andere Abweichungen, nur dafs 4, 1—3 ihm fehlen.

81. De beata Maria V.

- | | |
|--|---|
| 1. In te, per te, de te, ex te
pax venit hominibus,
Sub te, ob te, prae te, cum te
fax lucet hominibus,
Laeve, dextre, retro, ante
mox subvenis hominibus,
Infra, supra, ima, summa,
media sis omnibus,
Prima, terna et secunda
semper es in omnibus. | De te salus a sentina
tuens crescit famuli. |
| 2. In te Deus homo de se
ortus est hominibus,
In te Deus fecit esse
foedus cum hominibus,
In te Deus fructum messe
maturat hominibus. | 5. Ex te cedrus speciosa
crevit pudicitiae,
Ex te nardus odorosa
fert murrum paenitentiae,
Ex te floret dulcorosa
palma patientiae. |
| 3. Per te carnem maculosam
mundavit copiose,
Per te vitem generosam
plantavit fructuose,
Per te matrem amorosam
salvemur gloriose. | 6. Sub te luna luminosa
lucens splendidiffue,
Sub te cuna germinosa
lactatur melliffue,
Sub te tellus herbida
virescit fluctiffue. |
| 4. De te, vitae medicina,
resinam stilla debili,
De te fluunt, o piscina,
rivi dure flebili, | 7. Ob te palmes verae vitis
nectar fudit gratiae,
Ob te rivus fontis mitis
caret omni glacie,
Ob te cesset horror litis
pugnanti in acie. |
| | 8. Per te caeli lapsum zeli
restaurare poterant,
Per te casti ruptum veli
nullae integraverant,
Per te fasti mundi zeli
salvari non voluerant. |

9. Cum te Deus, pater meus,
primitus genuerat,
Cum te Deus, natus eius,
mundum composuerat,
Cum te Deus, pneuma verus,
hominem docuerat.
10. Laeve stantes pravitatis
trahe de conamine,
Laevae manus pietatis
dextrent nos oramine,
Leve onus gravitatis
fit tuo adiuvamine.
11. Dextrae fac assistere,
cui tu assistis,
Dextrae da resistere,
cui tu obsistis,
Dextrae Dei sistere
digito nos histis.
12. Retro pressi pondere
molis perimmensae,
Retro puncti crimine
cordis sat intense,
Retro tecti dominae
sint vi valde tense.
13. Ante cernunt tremuli
delicta iam commissa,
Ante matrem Domini
actant nunc omissa,
Ante strati famuli
salventur ab admissa.
14. Infra te sunt agmina
caeli famulosa,
Infra nos sunt fragmina
valde criminosa,
Infra trahunt barathra,
o virgo, luctuosa.
15. Supra caelos residens
attrahe gementes,
Supra te, o praenitens,
sunt stellae resplendentes,
Supra nos est insidens
horror mortis flentes.
16. Ima si despexeris
in lacrimosa valle,
Ima si respexeris
in argillosa calle,
Ima si adduxeris
in gaudiosa valde,
17. Summa sumunt gaudia
a te, iubilosa,
Summa nostra scelera,
turpe nubilosa,
Summa princeps, rogita,
ut fiant luminosa.
18. Media cum terminis
eiusdem sunt naturae,
Media hinc cerneris
Deo et creaturae,
Media nos, virginis
potestas geniturae.
19. Prima, quae non similem
habere potuisti,
Prima, quae Deum hominem
fore voluisti,
Prima reum hominem
purgare meruisti.

Cod. Graecen. 347. saec. 14. — 4, 3 cops piscina.

82. De beata Maria V.

1. Iubilose resonando,
Serenose promulgando,
Amorose decantando
Laudum excellentiam,
Optans rite puritatem,
Commendare dignitatem,
Amatricis caritatem
Nec non confidentiam.
2. Honestate decorata,
Caritate penetrata,
In amore solidata,
Venustatis flosculum,
Alligatrix animosa,
Amplexatrix speciosa,
In vinetis vernans rosa,
Dulce praebens osculum.

3. Nitens vultu coruscante,
Visu gyrans illustrante,
Ore patens mellicante
 Rubicundis labiis,
Nympha luce praefulcita,
Praeamoena margarita,
In amantis corde sita,
 Fando dulciloquiis.
4. Effusiva mellicorum,
Incentiva frigidorum,
Transfigentem ocellorum
 Clare ferens radium,
Salutaris amor scatet,
Tota fraus dolosa latet,
Aestuante corde patet
 Amabundum lilium.
5. Confortatrix intuentis,
Infirmatae calor mentis,
Coadiutrix desinentis,
 Pulchrior sideribus;
Affectanda corde plaudens,
Gemma candens, risu gaudens,
Praeferens sum cunctis audens
 Lapidum generibus.
6. Languet cor nec satiatur,
Risus tepet, heu, tristatur,
Dum hoc flore non utatur
 Caret et intuitu;
Iucundatur, hilarescit,
Delectatur, cor fervescit,
Ex aspectu iuvenescit
 Sempiterno fruitu.
7. Sanativa corde rata,
Genis pulchris figurata,
Albens dente, fronte grata,
 Praeformosa crinibus;
Singularis es puella,
Fulgurosa picta cella,
Nec est visa talis stella
 In terrarum finibus.
8. Eminentis lumen rerum,
Claritatis hoc procerum
Gestat corpus praesincerum
 Abundans laetitia;
Redimita philomena,
Dulcisonans cantilena,
Elongati summa poena,
 Letali maestitia.
9. Paradisus proclamatur,
Pullulans flos protestatur,
Redolens vas reseratur
 Nulla tincta macula;
Recumbentis cor transcendens
Incessanter est intendens,
Radiosa luna splendens
 Ceū ardens facula.
10. Viret modo virginali,
Fulget modo magistrali,
Circumdata curiali,
 Fragrans viridarium;
Tuaeitrix adoptiva,
Nocivorum ablativa,
Sanitatis causativa,
 Crimen pellens varium.
11. Exoriri symphonia,
Citharoedi melodia,
Canticorum harmonia
 Cernitur amplexibus,
Nectar merum os largitur,
Ut scriptum in petra scitur,
Mea spes nunc exauditur,
 Ne morar ambagibus.
12. Virtuosa nominata
Fusca veste est stipata,
Rubicunda combinata
 Absque zyma scoriae,
Stabilita, coronata,
Mater pura conservata,
Tandem, cara Iesu nata,
 Caeli data gloriae.

Cod. Maihingen. II. 1. Fol. 104. saec. 15. — 7, 1 Sanatina. — 10, 4
Flagrans. — 11, 1 Exorivi. — 11, 6 scriptum peto. — Acrostichon: Io-
hannes Calisser Prutenus.

83. De beata Maria V.

- | | |
|--|--|
| 1. Laude humani generis
Plus digna virgo ceteris,
Sponsas castas transgredieris
Alte sedens in superis. | 5. Fecit Deus mirabilem,
Respexit servam humilem,
Sponsam quaerens amabilem,
Tibi non fecit similem. |
| 2. Vitis abundans gratiae,
Mater spei et veniae,
Gaude, misericordiae
Mater, Dei et gloriae. | 6. Deum cum digna parere
Sis, gaudens eius munere,
Nemo potest concipere
Digne nec satis promere. |
| 3. Sancta sanctarum omnium,
Maria caput virginum,
Christi sacrum palatium,
Trinitatis triclinium. | 7. Te collaudare cupiunt
Cuncti, sed non sufficiunt,
Nam laudes tot conveniunt,
Laudantes quod deficiunt. |
| 4. Creavit te ingenitus,
Obumbravit te genitus
Et fecundavit spiritus,
Es facta tota deitus. | 8. Virgo dulcis et sapiens,
Boni fons indeficiens,
Nobisque sis compatiens,
Quos ferit hostis saeviens. |

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eecl.
375. — 1, 1 Gaude humani. — 4, 2 Obumbravit unigenitus. — 5, 1 Te fecit.
— 8, 3 sis fehlt.

84. Commendatio BMV.

- | | |
|--|---|
| 1. Laudes beatae virginis
Promat dulcedo carminis,
Vox laeta laudes intonet,
Et mens sincera resonet. | 6. Sic rubus ardens cernitur
Et igne non comburitur
In signum sacrae virginis,
Matris Dei et hominis. |
| 2. Quid eius laude dulcius,
Quid Maria pulchrius,
Quae clausa gestans viscera
Effecta est puerpera? | 7. Virga florescit arida,
Virgo tumescit gravida,
Flos candet lucis germine
Signans partum ex virgine. |
| 3. Eius excellens gloria
Mira perfert insignia
Et praeifulget omnibus
Humanae vocis laudibus. | 8. Rore vellus infunditur
Nec tactu roris laeditur,
Sic virgo sine onere
Laetatur prolis munere. |
| 4. Sola Dei potentia
Et non naturae gloria,
Sola fide, quae credidit,
Virgo conceptum edidit. | 9. Virgo prudens eligitur,
David in thoro iungitur,
Sed pro Mariae laudibus
Foedis caret amplexibus. |
| 5. Nam virginis fecunditas
Est inaudita novitas,
Dum virgo prolem generat,
Naturae iura superat. | 10. Virum circumdat femina,
Dum virgo, mundi domina,
Regem caeli amplectitur
Et gravida efficitur. |

11. Princeps, qui cuncta providet,
In clausa porta residet,
Dum virginis in utero
Dei verbum considero.
12. Lapis de monte scinditur,
Et manu mons non tangitur,
Dum absque viri semine
Christus prodit de virgine.
13. Hoc testamenti veteris
Figurat arca foederis,
Quod verius ostenditur,
Dum manna ibi conditur.
14. Castum Mariae gremium
Figurat grande solium,
Quod Salomon ex ebore
Suo perfecit tempore.
15. In quo noster pacificus,
Christus rex, patris unicus,
Dum carnem sibi sociat,
Nos Deo reconciliat.
16. Hesther, regina humilis,
Judith virtute similis,
Dum hostes Dei conterunt,
Mariae laudes praeferunt.
17. Nam draco, sicut legitur,
Mulierem persequitur,
Sed caput eius conterit
Virgo, quae Deum peperit.
18. Haec sunt Mariae gaudia,
Haec virginis praeconia,
Quae, sicut terra liliium,
Sic est enixa filium.
19. Maria virgo nobilis,
Decora et amabilis,
Maria, virgo regia,
Regis mater et filia.
20. Maria solis nuntia,
Veri splendoris praevia,
Aurora innocentiae
Et gemma pudicitiae.
21. Maria, stella lucida,
Nubes levis et candida,
Viam praebet errantibus
Et portum naufragantibus.
22. Magnum Mariae meritum,
Omni virtute praeditum,
Fulget immenso iubare
Omni remota compare.
23. Mariam si aspexeris,
Nil adaequare poteris
Ipsius privilegio,
Quod meruit in filio.
24. Maria cunctis praeminet,
Quae totus orbis continet,
Nil dignius mens reperit
Excepto hoc, quod peperit.
25. Maria sole clarior
Et angelis sublimior,
Flos omnis pulchritudinis
Et manna est dulcedinis.
26. Et quamvis sic praemineat,
Ut omnibus praefulgeat,
Nec peccatores despicit
Nec paenitentes abicit.
27. Ipsa thesaurus gratiae
Et fons misericordiae,
Solamen paenitentium
Et nostrae spei gaudium.
28. Ipsa virgo perpetua,
Caelestis vitae ianua,
Caelum nobis aperuit,
Dum regem caeli genuit.
29. Ipsa suis supplicibus
Et pie se quaerentibus
Non deest in auxilio
Nec deerit in praemio.
30. Ibi regina virginum
Regem regum et dominum
Ostendet in laetitia
Et sempiterna gloria.
31. Nunc ergo dicant singuli,
Qui sunt Mariae servuli:
Ave, salus humilium,
Nostrae salutis bravium.
32. Tua, virgo, praesentia
Gaudet caelestis curia,
Tu supernorum civium
Corona et tripudium.

- | | |
|--|---|
| <p>33. Tu aspectu pulcherrima
Et throno Dei proxima,
Regnas ibi feliciter
Et Iesum amas dulciter.</p> <p>34. Cuius immensa claritas
Atque amoris suavitas
Te replet ac inebriat
Et omni bono satiat.</p> <p>35. Quidquid ibi volueris
Aut quod benigne iusseris,
Hoc praestat voluntarie
Ipse auctor clementiae.</p> <p>36. Nam matris ad imperium
Se recognoscit filium
Nec denegare poterit,
Quodcunque imperaverit.</p> <p>37. Cuius relinquit gratiae
Sceptrum suae potentiae,
Ut omnes, quos vult, liberet
Et, quantum vult, remuneret.</p> <p>38. Eia, virgo, considera
Collata tibi munera,
Nostra omnium redemptio
In tuo stat arbitrio.</p> | <p>39. Cum ergo tibi gratia
Non desit nec potentia,
Omnes ad te confugimus
Et opem tuam quaerimus.</p> <p>40. Tu, virgo beatissima,
Tu omnium sanctissima,
Dignanter omnes respice
Et ope tua refice.</p> <p>41. Tu votis nostris annue
Et larga manu tribue,
Nam tibi non minuitur,
Quidquid nobis tribuitur.</p> <p>42. Tu abundas divitiis,
Tu frueris deliciis,
Quae vetustatem nesciunt
Nec detrimentum sentiunt.</p> <p>43. Propter amorem filii,
Propter decus imperii,
Quo sublimata crederis
Adesto nobis miseris.</p> <p>44. Tu nostra tege scelera
Nato praetendens ubera,
Ut, cum iudex advenerit,
Se filium meminerit.</p> <p>45. Tu mater veri luminis,
Ad laudem tui nominis
Fac nos electis omnibus
Consortes in caelestibus.</p> |
|--|---|

Orat. ms. Lehninense anni 1518. Cod. Berolinen. IV° 29. — 2, 2 Quid Maria pulcherrima; da auch 3, 3 des Auftaktes entbehrt, ist pulcherrima gesetzt worden. — 20, 1 solis micantia. — 20, 2 pervia. — 20, 3 Aureola. — 44, 3 Ut fehlt.

85. De beata Maria V.

- | | |
|--|---|
| <p>Laudes sacrae virginis
Mariae vox canat humilis,
Haec est melliflua,
Omnibus favens sedula,</p> <p>5. Oliva gratiae,
Mater misericordiae,
Regina caelorum,
Disciplina morum,
Spes miserorum,</p> <p>10. Vera lux sanctorum,</p> | <p>Flos florum,
Refugium peccatorum,
Culparum remissio,
Virtutum augmentatio,</p> <p>15. Invicta protectio,
Triumphantium gloriatio.
O virgo nobilis,
Orta stirpe Davidis,
Succurre miseris,</p> <p>20. Pro peccato perditis,</p> |
|--|---|

- Noxam purgans sceleris.
Sponsa laudabilis,
Dei atque hominis
Parens mirabilis,
25. Nulli comparabilis,
Caelestis genetrix luminis,
Vales prae omnibus
In virtutibus cunctis.
Plena charismatibus,
30. Tu es martyribus,
Confessoribus sacris
Stuporque virginibus.
In caelis tu singularis
Gloriaris
35. Et a superis
Veneraris
Et in terris
- Ab humilibus salutaris.
O magna, maior, maxima,
40. Gloriosissima Maria
Virgoque prudentissima,
Mater suprema,
Omni laude dignissima,
Confer vitae sanctitatem,
45. Puritatem mentis,
Corporis sanitatem,
Auge fidem,
Spem tribue,
Nobis influe
50. Caritatem perfectam
Et duc ad gloriam
Post praesens exsilium,
Ut nos tuum filium
Iesum laudemus per aevum.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt.
Eecl. 375. — Vor Vers 1 geht vorher:

Salve, praeoptabilis,
Virgo peramabilis,
Mater admirabilis,
Casta, nunquam labilis.

86. Oratio ad beatam Mariam V.

- Magistra religionis,
Regula perfectionis,
Fac, u nobis summe bonus
Leve rteddat suum onus.
5. Mater digna regis regum,
Doctrix summa legis legum,
Per arta regis mandata
Nos ad regna duc optata.
Fac, ut animam spernamus,
10. Spernendo magnipendamus,
Fac, ut animam perdamus,
Perdendo custodiamus;
Fac, ut ipsam odiamus,
Odiendo diligamus,
15. Nos et nostra relinquamus,
Ut Deum recipiamus
Et divinis affluamus,
Sic omnia deseramus,
Ut cuncta possideamus
20. Et in regno fulgeamus.
- Christi crucis asperitas
Per te sit nobis lenitas,
Sit nostrum per te studium
Sacratum evangelium,
25. Ut sit crux et martyrium
Dulce nobis solacium.
Vivamus evangelice,
Ut vivamus angelice,
Sic vivamus cum infimis,
30. Ut iungamur altissimis,
Sic utamur terrestribus,
Ut fruamur caelestibus,
Sic curramus in stadio,
Ut gaudeamus bravio.
35. Fac, ut os a deliciis,
Mens ieiunet a vitis,
Os ieiunet a carnibus,
Cor a votis carnalibus.
Ieiunia, vigiliae
40. Nobis fiant deliciae,

- Fiant planctus et lacrima
 Nobis dulcedo maxima,
 Gemitus et suspiria
 Fac nobis esse gaudia.
45. Labor sit nobis requies
 Ac thesaurus pauperies,
 Fames sit nobis fercula,
 Sitis sit nobis pocula,
 Sit nobis vestis pannosa
50. Carior quam pretiosa,
 Nos delectet vilis status
 Plus quam mollis et ornatus,
 Nobis vile tugurium
 Sit regale palatium.
55. Gloriam declinatio
 Sit nostra gloriatio,
 Voluptatis expulsio
 Sit nostra delectatio,
 Carnis morificatio
60. Sit mentis vegetatio.
 Fac nos amicos hostibus
 Mansuetos crudelibus,
 Servire saevientibus,
 Subvenire nocentibus,
65. Nos omnia fac omnibus.
 Contemptus, probra, verbera,
 Victus et vestis aspera,
 Frigus, aestus et cetera
 Adversitatis genera
70. Per se sint nobis prospera.
 Nam si crux mundi totius
 Esset viri crux unius,
 Si vir unus posset ferre
 Poenam Orci, poenam terrae,
75. Nihil fere pateretur,
 Si Christo compararetur,
 Nam collata Christi poenis
 Poena quaelibet est lenis.
 Nos ergo fac mundo mori
80. Et vivere creatori,
 Sic vitii exuamur,
 Ut gratiis induamur
- Et gaudiis repleamur.
 Pauperes efficiamur,
 85. Ut ditari mereamur
 Et aeternis perfruamur.
 Omne, quod est mundo
 festum,
 Fac nobis esse molestum,
 Brevem mundi laetitiam
90. Reputemus tristitiam,
 Stultam mundi prudentiam
 Iudicemus insaniam,
 Letalem mundi gloriam
 Vocemus ignominiam,
95. Fallacem mundi copiam
 Nominemus inopiam.
 Sit vanae laudis oleum
 Nobis virus vipereum,
 Quod est mundo nectareum,
100. Fac nobis esse felleum.
 Quod est mundo luminosum,
 Fiat nobis tenebrosum,
 Quod est mundo pretiosum,
 Fac nobis esse probrosum.
105. Deus sit nobis omnia,
 Vilescent nobis alia,
 Nam creatori collata
 Nihil sunt cuncta creata.
 Ergo nos omnes et totos
110. Ab omni crimine lotos
 Soli Deo fac devotos,
 Omnes sensus corporales,
 Omnes sensus spiritales,
 Virgo, redde virginales.
115. Fac nos peccatis irasci,
 Fac nos lamentis renasci,
 Gaudere, potari, pasci,
 Renasci, rebaptizari,
 Satiari, debriari
120. Fac nos fletu salutari.
 Nos lacrimis rebaptiza,
 Nobis caelum thesauriza,
 Nos in regnum inthroniza.

87. Oratio ad beatam Mariam V.

- Maria, sole clarior
Omniq̄ue gemma carior,
Caeli nive candidior,
Ipsoque caelo mundior;
5. Tu, quam creavit Dominus,
Consecravit altissimus,
Repleta sancto flamine
Fers florem claro germine.
Ille te fecit gravidam,
10. Qui suam dedit gratiam,
Ut esses habitaculum
Semper illi mundissimum.
Audi, Maria domina,
Audi, precum suspiria,
15. Virgo mater cum filio,
Caelorum rege proprio,
Fer opem nobis miseris,
Quos turbat caro fragilis
Et subveni quantocius,
20. Quos premit hostis pessimus.
Et nunc mihi praecipue,
Dans me vitae perpetuae
Per tua sancta merita,
Christo Deo gratissima.
25. Qui malo meo merito
In omnem culpam subito
Infelix nimis corruo
Atque in morte iaceo.
Non est, qui manum porrigat
30. Vel succurrendo erigat,
Nisi, o tu dulcissima,
Quae mater es piissima.
Consurge pro me, domina,
Funde pro me precamina,
35. Si scis, quod sit necessitas,
Funde planctus et lacrimas.
Puella nobilissima,
Virgo elegantissima,
Ingenua, clarissima
40. Atque speciosissima,
Pro nimium me misera,
Multum infelicissima,
Plangentem te cum lacrimis
Numquid is ferre poterit,
45. Qui natus est in tempore
- De tuo sancto corpore?
Nam si surgis, o domina,
Ut mihi des iuvamina,
Surgit tecum clarissima
50. Caelestis tota curia;
Si pro me rogas veniam,
Pietatem inveniam.
Maria, honor virginum,
Christi norma fidelium,
55. Esto mihi refugium
Nunc et semper auxilium.
Fac mundam mente, corpore,
Fac subditam iustitiae,
Fac vivere virtutibus
60. Et mundam fac sceleribus.
Sit iter placidissimum
Caelorum ad palatium,
Sis mihi lumen praeivium
Ad paradisi gaudium.
65. Benedicta, sanctissima,
Quae reparasti saecula,
Quae genuisti filium,
Regem victorem hostium.
Quibus verbis te invocem
70. Aut quibus nunc te postulem,
Quas tibi fundam lacrimas,
Quas voces promam intimas,
Ut me indignam audias
Et, quod precor, perficias?
75. Audi, Maria domina,
Audi, mater dulcissima,
Terret me trepidatio
Et mortis exspectatio,
Ob hoc ad te confugio,
80. Quae nostra es redemptio.
Nam quando Christum videro
Nec non et in iudicio
Ante suam praesentiam
Ad te, mater, confugiam.
85. Ad te currens, o domina,
Ante tua vestigia
Abs te quaeram praesidia
Et, si facultas fuerit
Aut si forte licuerit,
90. Tuis adhaerens pedibus

- | | |
|--|--|
| <p>Strictis tenebo manibus,
 Altis dicendo vocibus
 Cum ingentis clamoribus
 Ac lacrimosis planctibus</p> <p>95. Et cum duris singultibus:
 O Maria dulcissima,
 O Maria carissima,
 Adiuva me, o domina,
 Succurre mihi miserae,</p> <p>100. Succurre mihi perditae
 Et noli me despiciere
 Nec orphanam relinquere,
 Quae te ut matrem colui,
 Te dominam perhibui,</p> <p>105. Amorem in te habui,
 Tibi servire studui,
 Cum non servirem, dolui.
 Electe aures, ut audias,
 Fac, mater, ut exaudias,</p> <p>110. Ne tardes, ut subvenias,</p> | <p>Festina, ut eripias.
 Nam quia nunc te invoco
 Et valde multum diligo
 Diligereque sitio</p> <p>115. Ac plus amare cupio
 Et servire desidero,
 Si pro me supplicaveris,
 Si pro me exoraveris,
 Christum pro me rogaveris,</p> <p>120. Si tu me tunc eripies
 Et abstrahendo proteges
 A malignis spiritibus
 Et poenis infernalibus,
 Non erit desperatio</p> <p>125. Nec ulla dubitatio,
 Nec a tuo auxilio
 Recedam in iudicio,
 In illo tunc gravissimo,
 Donec des mihi requiem</p> <p>130. Ante quaerentis faciem.</p> |
|--|--|

Orat. ms. Gallicum saec. 15. Cod. Hagen. AA 175. — 44. Numquid non ferre. — 50. Caelesti. — 70. Cuius verbis. — 80. Et ob hoc. — 82. Nam quocunq̄ videro.

88. De beata Maria V.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Maria, te recolere
 Est nobis salutiferum,
 Quae sine carnis Venere
 Fecundum gerens uterum
 Digna fuisti parere
 Verbum ante luciferum
 Et hoc ex tuo munere,
 Conditor alme siderum.</p> <p>2. Maria, magnitudine
 Virtutum parem nesciens,
 Nos in hac vita sustine
 Deo placere faciens,
 Ortum est de te virgine
 Ex alto lumen oriens,
 Hoc est a caeli cardine
 Verbum supernum pro-
 diens.</p> | <p>3. Maria, nominaliter
 Te stella maris personat,
 Et in te singulariter
 Hoc duplex nomen resonat
 Mater et virgo pariter,
 Per eum, qui celsithronat,
 In laudem cuius iugiter
 Vox clara, ecce, intonat.</p> <p>4. Maria, quae prae ceteris
 Hoc habes privilegium,
 Quod, dum mater efficeris,
 Servas pudoris liliū,
 Hunc, quem lactasti miseris
 Nobis in adiutorium,
 Sic adloqui meminervis:
 Veni, redemptor gen-
 tium.</p> |
|---|--|

5. Maria, stella praevia
 Vocaris navigantium,
 A fluctuum saevitia
 Nos salva saevientium,
 Eius mater et filia,
 Cui ex ore psallentium
 Hic hymnus laus est propria:
 Veni, redemptor gen-
 tium.
6. Maria, mundum perditum
 Primi parentis crimine
 Salvas per unigenitum,
 Patri parem in numine,
 Suum tuumque libitum
 Ad usque mundi machinae
 Fines fit per circuitum
 A solis ortus cardine.
7. Maria, quae sic affluis
 Deliciis clementiae,
 Quae neminem destituis
 Ope misericordiae,
 Per hunc nobis restituis
 Hereditamen gloriae,
 Quem tu venire metuis,
 Hostis Herodes impie.
8. Maria, laus et gaudium
 Nostrum per Iesum penitus,
 Cuius est ad imperium
 Hic totus mundus subditus
 Et cui sacrificium
 Contribulatus spiritus,
 Tuum se dedit filium
 A patre unigenitus.
9. Maria, te magnificent
 Magna virtutum opera,
 Mirandamque mirificant
 Miranda Christi munera,
 Nam omnia glorificant
 Te, felix o puerpera,
 Per hunc, colunt et praedicant
 Quem terra, pontus,
 aethera.
10. Maria, tuis laudibus
 Tam angelorum culmina
 Intendunt in caelestibus,
 Quam angelorum agmina,
 In terris quae cum avibus
 Pisces, fontes et flumina
 Tuis subduntur pedibus,
 O gloriosa domina.
11. Maria, per quod deceat
 Efferi te praeconium,
 Instruere complaceat
 Tibi corda fidelium,
 Et ne nos is absorbeat,
 Qui absorbebit fluvium,
 Culpas nobis indulgeat
 Deus, creator omnium.
12. Maria, te deposcimus
 Pro tua celsitudine,
 Qua praesides, ut credimus,
 Sanctis in caeli culmine,
 Ut preces, quas offerimus,
 Admittat pro libamine
 Is, cui soli psallimus:
 Salvator mundi, Do-
 mine.
13. Maria, plena gratia,
 Tu maiestatis solium,
 Virgo, mater et filia
 Manens, dum paris filium,
 Ipsi nos reconcilia,
 Qui finis et principium
 Futura novit omnia
 Primo dierum omnium.
14. Maria, tuae doluit
 Fuisse prolis proditor
 Post, medius dum crepuit,
 Eiusdem Iudas traditor,
 Res mira, quae non rapuit,
 Exsolvit cordis cognitor,
 Ita nam tibi placuit,
 Aeterne rerum con-
 ditor.
15. Maria, famulatui
 Tuo servire libere
 Per te tuos nos instrui
 Requiritur summopere,
 Tuo subduntur nutui
 Terra, pontus cum aethere,
 Hinc te precamur cernui
 Iam lucis orto sidere.

16. Maria, sine Venere
Mater effecta caelitus,
Partus tui puerperae
Latebat hostem penitus,
Te decet nos attollere,
Sed petimus medullitus,
Ad hoc clemens illabere
Nunc sancte nobis
spiritus.
17. Maria, cuius abstulit
Fructus ventris virgineus
Vae, primus Adam intulit
Quod Evae consentaneus,
In anima te perculit
Doloris tunc aculeus,
Cum mortem crucis pertulit
Rector potens, verax
Deus.
18. Maria, te laudantibus
Insidiantes reprime,
Et esse qui dat omnibus,
Affectus nostros exprime,
Ut luceat obtentibus
Suae matris sanctissimae
Lucem veram quaerentibus,
Lucis creator optime.
19. Maria, cui similis
Non est in mundi tribubus,
Irae Dei terribilis
Tuere nos ab arcubus,
Tu portus infallibilis,
Nos redde vitae portubus,
Quibus es memorabilis
Somno refectis artu-
bus.
20. Maria, tu quae coetibus
Caelestis praees curiae,
Nos tuis iuva precibus
Apud regem clementiae,
Illuminet ut gentibus
In umbra mortis hodie
Et tenebris sedentibus
Splendor paternae
gloriae.
21. Maria, fac propitia,
Sit nobis ut propitius
In qualibet angustia
Rex noster, tuus filius,
Quos ad tua praeconia
Surgentes omnes ocuis
Invitat huius gratia
Ales diei nuntius.
22. Maria, quam ad gloriam
Vexit rerum dispositor,
Ad cuius complacentiam
Est omnis homo debitor,
Ne talentorum quispiam
Suorum sit absconditor,
Tui det ad instantiam
Telluris ingens con-
ditor.
23. Maria, digna laudibus
Suavitatis intimae,
In generationibus
Beata cunctis apprime,
Devotis interventibus
Offensas nostras adime,
Assis et hic petentibus,
Deus creator optime.
24. Maria, sine semine
Prole gaudens virginea,
Pro tuo sancto nomine
Nos in virtute recrea,
Carens amaritudine
Crescat ut ex his vinea,
Quibus pulsa caligine
Lux, ecce, surgit
aurea.
25. Maria, per quam patuit
Porta perennis patriae,
Cuius ventrem non horruit
Rex aeternalis gloriae,
Sic, per te quod imposuit
Finem nostrae miseriae,
In te sibi complacuit
Magnae Deus poten-
tiae.

26. Maria, porta patriae,
quam non turbat adversitas,
Fac ita nos iustitiae
Perambulare semitas,
Ut illuc sit cotidie
Nova nobis iucunditas,
Quo praemium das gloriae,
Tu trinitatis unitas.
27. Maria, quae totaliter
Es dicta plena gratia
Atque particulariter,
Nos tuo vultu satia,
Quo perfruuntur iugiter
In summa regis curia,
Quorum est aeternaliter
Aeterna caeli gloria.
28. Maria, memorantibus
Tuae magnificentiae
Pulsis procul doloribus
Inest causa laetitiae,
Una cum participibus
Quos secum suae gloriae
Caeli coniungat civibus
Summae Deus cle-
mentiae.
29. Maria, luce clarius
Relucet, quod diabolum
Tuus devicit filius
Mille maeandros subdolum,
Ipsius dolum longius
Tam in nocte malevolum
Fuga quam et lucidius,
Aurora iam spargit
polum.
30. Maria, te non credimus
Latere, quia septies
Omnes in die cadimus
Delinquimusque pluries,
Sed placa, quem offendimus,
Plus benedicta milies,
Hunc, inquam, cui canimus:
Christe, qui lux es
et dies.
31. Maria, tu quae spiritus
Praeventa dono caelico
Mater es facta caelitus
Verbo favens angelico,
Quod Deus ex te genitus
Eloquio prophetico
Foret dixerunt primitus
Ex more docti mystico.
32. Maria, tantum facias
Laudantium te coetui,
Ipsorum ut adicias
Laetitiam auditui,
Quo per tuas propitias
Preces ipsius vultui
Astantes Deo gratias
Dicamus omnes cernui.
33. Maria, vere diceris
Et es pes indulgentiae,
Tu nobis nostri sceleris
Implora munus veniae,
Quod dare ne tardaveris,
Dicator abstinentiae
Honorque nostri generis,
Iesu, quadragenariae.
34. Maria, cuius uterum
Non horruisse dicitur
Lunae, solis et siderum
Is per quem cursus regitur,
Oriri fac luciferum,
Occasum qui non patitur,
Horis cum lux ad vesperum
Iam ter quaternis
trahitur.
35. Maria, quae praeficeris
Supra sanctorum cuneum,
Adversum nos, tu noveris,
Quod hostis parat laqueum,
Sed cadat auctor sceleris
In quem effodit puteum,
Nam miserendi miseris,
Ecce, tempus idoneum.
36. Maria, mulieribus
Dispar in partu filii,
Nobis inhabitantibus
Vallem huius exsilii

- Tuis praestetur precibus,
Ut in die iudicii
Nos praemiet caelestibus
Summi largitor praemii.
37. Maria, sic disposuit
De te Deus auxiliis,
Quod fieri te voluit
Sui thronum imperii,
A quovis hic abstinuit
Esu diu cibarii
Ac observandum docuit
Clarum decus ieiunii.
38. Maria, causa veniae
Te peccatores adeunt,
Per quam adepti gratiae
Munus mundati redeunt,
His utique materiae
Gaudendi non depereunt,
Quibus signum victoriae
Vexilla regis prodeunt.
39. Maria, de te nascitur
Rex Christus, salus populi,
Super iustos, ut canitur
In psalmo, cuius oculi,
A quo solo dum vincitur
Fraus inimica zabuli,
Soli de iure dicitur:
Iesu, salvator saeculi.
40. Maria, diligentibus
Ignis amoris fervidi
Amoreque languentibus
Medela cordis languidi,
Concede nuptialibus,
Ut apparentes candidi
Introeamus vestibus
Ad cenam agni providi.
41. Maria, pulsa precibus
Aures regis iustitiae,
Ut expiati sordibus
Et actibus nequitiae
Puris castisque mentibus
Auctori castimoniae
Cum ceteris fidelibus
Hymnum canamus gloriae.
42. Maria, prosit omnibus
Tua sic intercessio,
Ut in supernis aedibus
Tandem sit nostra portio
Beatisque spiritibus
In caeli iuncti solio
Altis canamus vocibus:
Iesu, nostra redemptio.
43. Maria, persequentium
A manibus nos exime
Et in nos insurgentium
Malorum motus comprime,
Ut videamus filium
Tuum, hic hymnus maxime
Quem decet et non alium:
Aeterne rex altissime.
44. Maria, pudicitiae,
Totius domicilium,
Laudare te cotidie
Novum est nobis studium,
Per te simus, quo facie
Ad faciem est omnium
Haec una vox laetitiae:
Tu, Christe, nostrum
gaudium.
45. Maria, quae virginibus
Iugis honor et gloria,
Sed et electis omnibus
In caelis es laetitia,
Hoc tribuat supplicibus
Tuis Christi clementia,
Ut dentur in caelestibus
Beata nobis gaudia.
46. Maria, te prae omnibus
Dei virtus impleverat,
Dum tuis ex visceribus
Assumpsit, quod non fuerat,
Ut tibi locum sedibus
Matri, prius descenderat,
Pararet in caelestibus,
Iam Christus astra ascenderat.
47. Maria, sola gemitu
Carens, dum fis puerpera,
Tuis nunc et in obitu
Servis adesse propera,

Patente tunc ut aditu
 Nobis ad regna supera
 Simus, quo sancto spiritu
 Impleta gaudent vis-
 cera.

48. Maria, mundi diluens
 Suspiriorum gemitus,
 Gaudendi causam tribuens
 Est ex te fructus editus,
 Hic nos a culpis exuens
 Ad caeli ducat aditus
 Nostrique votis annuens
 Veni, creator spiritus.

49. Maria, persolventibus
 Pro posse laudes debitas
 Nobis tuis conspectibus
 Reddas coronas perditas,
 Super quo deprecantibus
 Te, qui in caelis habitas,
 His inclinata precibus
 Adesto, sancta tri-
 nitas.

50. Maria, recognoscimus
 Te decus esse virginum
 Et advocatam dicimus
 Te specialem hominum,
 Hinc est, quod, cum offendimus
 In multis Christum Do-
 minum,
 Multoties requirimus
 Te lucis ante ter-
 minum.

51. Maria, quam ingenuae
 Prolis attollit dignitas,
 Tu nobis es continuae
 Laetitiae causalitas,
 Nos a peccatis erue,
 Ut, ubi lex est veritas,
 Dicamus omnes cernue:
 O lux, beata trinitas.

52. Maria, gravaminibus
 Pressis levamen mulcebre,
 In cunctis nostris gressibus
 Praecedant tuae palpebrae,

Ne nos in infernalibus
 Locis involvant tenebrae,
 Sed simus in caelestibus
 Festum colentes cele-
 bre.

53. Maria, pro peccantibus
 Preces Deo multiplica
 Et pro nostris excessibus
 Instanter ei supplica
 Eductosque de fluctibus
 Maris ad portum applica,
 Tu stella navigantibus,
 O gloriosa domina.

54. Maria, puerperio
 Dicata prolis inclitae,
 Per quam facta redemptio
 Nobis est vitae perditae,
 Fac, ut caelestis contio
 Laudi non vacans debitae
 Hic moneat alloquio:
 Caeli cives, adplaudite.

55. Maria, cui saeculum
 Adplaudit omne plausibus
 Et cui praestat sedulum
 Obsequium pro viribus,
 Ad laudem Dei cumulum
 Fac, ut ex peccatoribus
 Mundaret sibi populum,
 Exsultet caelum laudi-
 bus.

56. Maria, mater gratiae
 Qua patet ad introitum
 Via caelestis patriae
 Per Evam matrem perditum,
 Cursum nostrae militiae
 Fac ita beneplacitum,
 Laetemur ut in acie,
 Deus, tuorum militum.

57. Maria, te requirere
 Nostrae mentis est opera,
 Quam ferre fas est credere
 Excelsam super sidera,
 Eductis ut de carcere
 Mundique valle misera
 Donata sit percipere
 Aeterna Christi munera.

58. *Maria, cuius omnibus*
Est praesto patrociniū,
Tuis orationibus
Placatum redde filium
Nobis te deprecantibus,
Est cui soli proprium
His invocari vocibus:
Iesu, redemptor omnium.
59. *Maria, ne permiseris*
Nos esse viros sanguinum,
Quos sanguis Christi lateris
Lavit a labe criminum,
Quinimmo iuncti superis
Te mereamur Dominum
Sequi, quocunque ieris,
Iesu, corona virginum.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. ¹⁴/₁₅. — 3, 6 celsithronat. — 5, 6 Qui ex ore. — 24, 7 pulchra caligine. — 27, 3 Et particulariter. — 30, 2 quod sepelies. — 34, 5 Quod iri fac. — 37, 2 Ad te Deus. — 37, 7 Ad observandum. — 38, 7 signum. — 47, 1 sola genetrix. — 47, 5 auditu.

89. De beata Maria V.

1. *Maria, te suppliciter*
Mea salutat parvitas,
Mater misericordiae,
Reddas coronas perditas.
2. *Ut laetemur feliciter,*
Ubi dulcis iucunditas,
Regnemus aeternaliter,
Ubi iugis sollemnitas.
3. *Per te donetur venia,*
Sis expiatrix scelerum,
Sopiatur discordia,
Sis reformatrix foederum.
4. *Ad te clamat inopia,*
Sis pia datrix munerum,
Nos coartat miseria,
Sis consolatrix pauperum.
5. *Cupio, mater, cernere*
Tui splendoris speciem,
Feliciter quiescere
Post timendum mortis diem.
6. *Fac me sursum ascendere*
Ad illam dulcem requiem,
Dulcem Iesum respicere
Et eius gratam faciem.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

90. Ad beatam Mariam V.

1. *Maria, virgo pia,*
Du haft geholfen mir
Per aquas et in via,
Lob sagen wil ich dir.
2. *Tuas horas complendo*
Ich dik verfumet han,
Quas breviter emendo,
Das wil ich nit enlan.
3. *Virgo, tuum levamen*
Min leben hat erloft,
Dulcissimum solamen,
Min aller liepfter troft.
4. *Eram quasi submersus*
In mængem kumber grofz,
Per te fui reversus,
Diner hilf ich dik genofz.
5. *Regina custrix poli,*
Ich emphilch mich dir,
Relinquere me noli,
Wan ich wil dienen dir.
6. *Dele peccata mea,*
Muter der barmherczikait,
Columba turturea,
Verwend du mir min laid.

- | | |
|--|---|
| <p>7. Quilibet homo videt,
Die welt ist vntrew vol,
Unus ab altero ridet,
Damit der welt ist wol.</p> <p>8. Nun hör: repletus venter
Ist liber denne got,
Hoc patet evidenter
An mængem ane spot.</p> <p>9. O vera mater Dei,
Du wellest behüten mich,
Nam utor tuae spei,
An min fünd nit enfich.</p> | <p>10. Si forsitan peccavi
Wider den willen din
Et vanas res amavi,
Das verzih mir, Künigin.</p> <p>11. Filium tuum Christum
Bitt für mich, Kaiferin,
Quem vidi crucifixum,
Das ich nit kom in pin.</p> <p>12. Dictamen ego dixi,
Nun hilf mir uffer not,
Hucusque male vixi,
Ich stan in dinem bot.</p> <p>13. Trade mihi mercedem,
Muter vnd Künigin,
Ut sim in tuam aedem,
Ich armer diener din.</p> |
|--|---|

Cod. Servorum BMV. Oenipontan. A 35. anni 1450. A. — Orat. ms. Pollingen. saec. 15. Clm. Monacen. 11917. B. — 1, 2 Du haufst B. — 2, 1 Suas B. — 2, 2 dick verfaumet B. — 3, 2 haut erlöft B. — 3, 4 liebfter tröst B. — 4, 2 Kummer grofs B. — 4, 3 Per te sum reversus A. — 4, 4 dick genofs B. — 5, 4 Wann ich will B. — 6, 2 Mütter der parmhertzigkait B. — 6, 3 turturia A. — 6, 4 du fehlt B. — 7, 1 homo cernit B. — 7, 2 vntrewen B. — 7, 3 sq. fehlen B. — 8, 1 sq. und 3 sq. umgestellt B. — 8, 1 Cui repletus venter B. — 8, 2 dänne got B. — 8, 4 mængem B. — 9, 2 Du wöllest behieten mich B. — 9, 3 Nam utor tua spe AB, gegen den Reim. — 9, 4 mein find B; nit sich A. — 10, 3 Quod vanas B. — 10, 4 Das verzeich mir Künigin B. — Str. 11 fehlt B. — 12, 1 tibi dixi B. — 12, 2 Nun hilf mir vñs not B. — 12, 3 Et iterum malum egi B. — 12, 4 Wereft nit, so wer ich tod B. — 13, 2 Mütter vnd Kayferin B. — 13, 3 Et duc me in tuam aedem B. — 13, 4 Mich armen diener B.

91. Ad beatam Mariam V.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Maria, virgo virginum,
Ab aeterno data rege
Certissima spes hominum,
Adiuva me, fove, rege.</p> <p>2. Regere vir insipiens
Non valeo me, Maria,
Tu autem, summe sapiens,
Sis indocti doctrix pia.</p> <p>3. Pia Maria, expies
Cunctam a me nequitiam,
Sanctissima plus milies,
Quam dicere sufficiam.</p> | <p>4. Sufficiam numquid tuam,
Maria, laudem dicere,
Ad quam nec loquelam suam
Dicunt sancti sufficere?</p> <p>5. Sufficere tamen queam
Te laudare competenter
Per gratiam aptus eam,
Quam Maria das libenter.</p> <p>6. Libenter insipientes
Sufferre soles in via
Libenterque neglegentes
Supportes, mater Maria.</p> |
|---|--|

7. *Maria, meam nimiam
Tu scis insipientiam,
Sed propter tuam gratiam
Da mihi sapientiam.*
8. *Sapientiam, qua sciam
Diligere Iesum Christum,
Qua te diligam Mariam,
Qua contemniam mundum
 istum.*
9. *Istum mundum contemnere
Iam, Maria, me video,
Unde gratias agere
Iesu et tibi debeo,*
10. *Eo, euge, remotior
Ab amore mundi factus,
Quo pressura me gravior
Strinxit et fratrum detractus.*
11. *Tractus ad humilitatem
Ita Iesu promittente,
Odiam iniquitatem
Te Maria assistente.*
12. *Tentae sunt ad te, Maria,
Meae cogitationes,
Ut des mihi prece pia
Iesu benedictiones.*
13. *Dictiones mihi placent,
Quibus Maria miscetur,
Sed sunt graves, qui te tacent,
Cordi, quod tibi vovetur.*
14. *Vovetur tibi, Maria,
Corpus meum et cor meum.
Cuius probo prece pia
Propitium mihi Deum.*
15. *Deum Iesum relinquere
Me, Maria, fecit mundus,
Quamobrem hunc diligere
Nolo, cum sit et immundus.*
16. *Immundus mundus polluit,
Heu me, totam vitam meam,
Sed, Maria, qui voluit
Ex te nasci, mundet eam.*
17. *Eam et tu suscipias
In curam in curae via,
Quae mundanas iam gratias
Respuat pro te, Maria.*
18. *Maria, mea peccata
Sunt innumerabilia
Et sunt nimis prolongata
Et, proh dolor, sunt grandia.*
19. *Grandia magis fluenta
Tuae, Maria, gratiae
Abstergant inquinamenta
Meae tantae nequitiae.*
20. *Nequitiae ponam finem
Iam iuvante te, Maria,
Virtutibusque festinem
Quaerere Iesum in via.*
21. *In viaque veritatis
Per te, Maria, firmatus
Semper in Iesu mandatis
Iactem meos cogitatus.*
22. *Cogitatus similiter
In te, Maria, recondam,
Quo peragam salubriter
Viam meam gemebundam.*
23. *Gemebundam militiam
Mei gravis incolatus
Ad Iesu ducat gloriam
Tuis, Maria, precatus.*
24. *Precatus tui placitum
Mox, Maria, facit Deus,
Per teque novum spiritum
Recipit ab eo reus.*
25. *Abeo reus in multis
Ad te, redemptrix reorum,
Maria, quae ab occultis
Liberas corda multorum.*
26. *Multorum catholicorum,
Maria, prima patrona,
Auge semper salvandorum
Numerum in fide bona.*
27. *Bona, melior, optima
Esse, Maria, probaris,
Magnaque maior, maxima,
Miserorum recordaris.*
28. *Aris tuis, o Maria,
Ob hoc vovent se fideles,
Quia tu es illa pia
Sancta, quae peccata deles.*

29. Deles aras, ara Dei,
Dedicatas daemoniis,
Maria, matrona spei,
Digna dignis obsequiis.
30. Obsequiis angelicis
Honoraris perenniter
Laudibusque dominicis
Decoraris sublimiter.
31. Sublimiter, o Maria,
Nomen tuum elevatur,
In patria et in via
Ab electis adoratur.
32. Adoratur tamquam dignum,
Dignius ac dignissimum,
Vertens in fugam malignum
Vergens et salvans animum.
33. Animum ad cultum sanctum
Humanum trahis, Maria,
Dans gaudium aufer planctum,
Solacium es in via.
34. In via corpus infirmum
Si sternat vis itineris,
Manet sanum cor et firmum,
Cui, Maria, imprimeris.
35. Eris ergo semper mecum,
Maria, per memoriam,
Ut etiam ipse tecum
Sim iugiter per gratiam.
36. Per gratiam iunctus tuam
Sic tuae societati
In pressura nunquam ruam
Itineris reprobati.
37. Reprobati sunt spiritus
Procul ab illius via,
Qui semper exstat deditus
Nomini tuo, Maria.
38. Maria, cunctis mentibus
Dulcis tua memoria,
Gloriae melos auribus
Et cordibus laetitiam.
39. Laetitia sempiterna
Super capita eorum,
Qui semper habent interna
Cordium ad te suorum.
40. Tuorum patrum meritum
Sancta tenent vestigia,
Tenentes tuum filium
Iesum et te memoria.
41. Morietur ergo mundo
Memoria cordis mei,
Ut vivam corde iucundo
Deo et tibi, laus Dei.
42. Dei cubicularia,
Dei voluntas, Maria,
Almi pneumatis hostia,
Iesu Christi mater pia.
43. Pia, patens, potens, dives
Divina thesauraria,
Me capias, me captives,
Turris abundans gratia.
44. Gratia indeficiens,
Spes vitae nunquam moriens,
Lux oriens, fons satiens,
Pie cunctis subveniens.
45. Subveniens sis, Maria,
Semper mihi peccatori,
Quamdiu sum in hac via,
Et da tandem bene mori.
46. Mori fac animam meam,
Maria, morte iustorum,
Ut vivere per te queam
In regione vivorum.

92. De beata Maria V.

1. Mater Dei,
 Maria nomine,
Praedotata
 virtutum culmine
Ac donorum
 beatitudine,
Ab hostili
 serva nos turbine.
2. Mentis nostras
 peccatis deditas,
Quas nunc terret
 mortis propinquitas,
Fac securas,
 quae sursum habitas,
Nam, quibus vis,
 datur securitas.
3. Mons sublimis,
 iustorum speculum,
Dei sponsa,
 morum spectaculum,
Iam in caelis
 regnans in saeculum,
Dono pacis
 reforma populum.
4. Monstra nobis
 tuam clementiam
Piam nobis
 dando concordiam,
Nec in plebe
 fundat malitiam,
Qui cecidit
 propter superbiam.
5. Mirabile
 magnum ostenditur,
Terra surgit,
 spiritus labitur,
Ambo pugnant,
 sed Satan vincitur,
Illa regnat,
 iste proicitur.
6. Mater, quae scis
 omnes scientias
Et cognoscis
 hostis versutias,
- Rege mentes,
 doce Christi vias
Et perduc nos
 ad eius nuptias.
7. Mitte robur
 ferque praesidia
His, qui tua
 narrant praeconia,
Et ut facta
 sint meritoria,
Fac, ut grata
 sint semper et pia.
8. Mundus praesens
 plenus aculeis,
Nos diversis
 opprimens malleis,
Sed intra haec
 ab hostis laqueis
Conserva nos
 in cunctis plateis.
9. Mater Dei,
 per tua merita
Nos infirmos
 clementer visita,
Visita nos,
 mundi lux inclita,
Et ad Christum
 sis nobis semita.
10. Memoriam
 tui da tenacem
Et de Iesu
 fidem perspicacem,
Fac vitare
 mundum hunc fallacem,
Hostem quoque
 nimium procacem.
11. Miserere
 animae miserae,
Quae non potest
 sese cognoscere,
Hanc, si placet,
 velis instruere,
Et ad Christum
 semper attrahere.

12. Mater, de qua
bona tot audimus,
Tibi iuges
gratias agimus
Et insuper
supplices petimus,
Ut des pacem,
ad quam praetendimus.
13. Mater, in qua
est omnis puritas
Et totalis
abundat bonitas,
Per te detur
tanta sagacitas,
Quod vincatur
hostis calliditas.
14. Mitte nobis
de caelis gratiam,
Quae praecedat
et doceat viam,
Hanc gratiam
da nobis sociam,
Ut subsequens
ducat ad gloriam.
15. Mater plena
misericordiae,
Dux et vigor
nostrae militiae,
Pone finem
nostrae miseriae,
Ne subrepat
pestis acediae.
16. Mundus iste
multam miseriam
Nunc germinat
et immunditiam,
Da igitur
intellegentiam
Ut servemus
cordis munditiam.
17. Memoriam,
heu, nimis labilem
Vivifica
et fac pervigilem,
- Et ut Deo
tibi que iubilem,
Ad hoc opus
redde me habilem.
18. Mundus iste
plenus invidiae,
Fumus ignis
concupiscentiae
Iam excaecat
servos ecclesiae,
Mitte lumen
de sede gloriae.
19. Mentis ergo
corrigere carnales
Nec non motus,
qui sunt bestiales,
Ne nos laedant
canes infernales,
Vel perimant
poenae aeternales.
20. Medicamen
nostrorum sensuum
In omnibus
da nobis congruum,
Ut vivamus
secundum cor tuum,
Ne aliquis
currat in vacuum.
21. Mater digna
beatitudine
Et nobilis
tam re quam nomine,
Te deprecor
mentis conamine,
Ut des finem
absque formidine.
22. Miles probus
in regno gaudebit,
Post laborem
gaudium habebit,
Hyprocrita
poenam sustinebit,
Cum Satana
reprobo lugebit.

23. Mater Christi,
qui est benedictus,
Vincens hostem,
qui est maledictus,
Ego pauper,
dolens et adfectus
Ad te curro,
ne sim derelictus.
24. Mundus enim
plenus est figmentis
Et fraudibus
antiqui serpentis,
Et ideo
nos piis lamentis
Te rogamus,
ut des pacem mentis.
25. Mater Dei,
qui diligit iustos,
Qui arguit
et castigat stultos,
Absolve nos
peccatis onustos
Et semper sis
gregis Christi custos.
26. Mater pia,
spes morientium,
Consolamen
pie viventium,
Da servulis
caeleste praemium,
Quod est quies
et pax et gaudium.
27. Mater ducis
vere iudicantis
Et clementer
peccata donantis,
Miserere
plebis nunc errantis,
A semita
nimis deviantis.
28. Mater Christi,
qui dat verum potum,
Qui spiritum
et cor dat devotum,
Fac, ut digne
reddam sibi votum,
Immo corpus,
mentem et me totum.
29. Mater potens
plenaque gaudio,
Circumdata
caeli collegio,
Nos respice
vultu propitio,
Multiplici
repletos taedio.
30. Mitis mater,
auribus percipe,
Voces nostras
clementer suscipe,
A mundana
peste nos eripe
Et nos tecum
in fine recipe.

Cod. Parisien. 3639. saec. 15/16.

93. De beata Maria V.

1. Mater Dei gloriosa,
Super omnes speciosa,
Virgo nitens et formosa,
Sic refulges velut rosa.
2. Rosa florum redimita,
Pretiosa margarita,
Orta de te nostra vita,
Mors per eam est attrita.
3. Caelum, terra atque mare
Te non cessant collaudare,
Inter quae et me dignare
Laudes tuas resonare.

Cod. Treccen. (ol. Claravallen.) saec. 15.

94. Oratio ad beatam Mariam V.

1. Mater Domini Maria,
Recta paradisi via,
De qua dicit prophetia
Quae fuit in Isaia:
2. Virgo germinabit florem,
Qui septenum fert odorem,
Virgo paritura prolem
Generabit salvatorem.
3. Per te genitus est Deus,
Tuus dominus et meus,
Sicut resonat Matthaeus,
Licet deneget Iudaeus.
4. O tu virgo singularis,
Aula Christi, stella maris,
Quae theotocon vocaris,
Mihi iam compatiaris.
5. Ego namque pro peccatis
Nimium inveteratis,
Multis et non computatis
Mihi pertimesco satis.
6. Vulnera sunt veterana,
Quibus medicina vana
Exstat funditus humana,
Sana me tu, virgo sana.
7. O Maria benedicta,
Mea dilue delicta,
Ne sententia districta
Christi mihi sit vindicta.
8. Aures tuas, o regina,
Meis precibus inclina,
Ut caelestis medicina
Per te mihi sit vicina.
9. In me generatur fletus,
Stringit dolor, terret metus,
Iam non possum fore laetus,
Qui peccatis sum repletus.
10. Astra caeli non sunt tanta,
In me vitia sunt quanta,
Quae tu, virgo, mater sancta,
Almis precibus supplanta.
11. O si dares nunc auditus,
Ut me traheres ad litus,
Quem demergit maris situs,
Quo teneor irretitus.
12. Fundunt lacrimas pupillae,
Quas suscipiunt maxillae,
Comparatus sum favillae,
In me vitia sunt mille.
13. Unde te, dilecta Deo,
Recolens in corde meo
Multum rogitando fleo,
Ut sis pia mihi reo.
14. Emendare me sum praesto,
Nunc placere Deo gesto,
Sed tu, virgo, mihi maesto
Iam placabilis adesto.
15. Nobilis et mente pura,
Cum sis mitis ex natura,
Quare nunc es mihi dura
Nulla permanente cura?
16. Audi, porta paradisi,
Per quam multi sunt confisi,
Ego, cum peccavi, risi,
Modo fleo, quod commisi.
17. Ad te clamo de profundo,
Genu flecto, pectus tundo,
Et tu nunc, dilecta, mundo
Vento subveni secundo.
18. O columba sine felle,
Iam suspiria repelle,
Monstra te salvare velle
Meque manibus compelle.
19. Ego namque, cum peccavi,
Vidi vulnus et expavi,
Unde nunc maerore gravi
Tibi supplico suavi.
20. Et tu, virgo, praebere mentem,
Monstra fore te clementem,
Ut me nimium maerentem
Deum facias videntem.
21. Ego perpetravi faecem,
Rupi verba legis decem,
At tu, casta virgo, precem
Audi nunc et tolle necem.
22. Ante tuum, virgo, vultum
Fleo rogitando multum,
Ut, quod contra Dei cultum
Feci, mihi sit indultum.

23. Quodsi fuerit audita

Mea vox, convertar ita,
Ut sit Christus mihi vita
Saecula per infinita.

Cod. Vatican. 4363. saec. 13. A. — Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. ¹⁴/₁₅. B. — Str. 1 fehlt B. — 2, 1 germinavit AB. — 2, 2 sq. fehlen A. — 2, 4 Paritura salvatorem A. — 3, 1 Per te A. — 4, 3 Quae teopto convocaris A. — 5, 3 Multum B. — 6, 1 veterata A. — 6, 2 Et a nullo praedicata A. — 6, 3 Cesset funditus A. — 6, 4 Sana me tu virgo cara A. — 7, 3 sq. fehlen A. — 8, 3 sq. fehlen A. — 9, 1 generatus A. — 9, 2 Frangit dolor A. — 9, 3 Nec non possum B. — 9, 4 Quia peccatis A. — 10, 2 Mea scelera sunt quanta B. — 10, 3 mater pia A. — Str. 11 fehlt A. — 11, 4 In quo B. — 12, 1 Fudit A. — 13, 1 Unde dilecta A; Ante dilecta B. — 13, 2 sq. umgestellt A. — 13, 4 Ut suscipiat mihi reo A. — 14, 1 Emendare mihi A. — 14, 2 gesto statt gestio. — 14, 3 Et tu virgo B. — 14, 4 Implacabilis A. — Str. 15 fehlt A. — 15, 4 permanens B. — 17, 2 flexu A; corpus tundo B; pectus mondo A. — 17, 3 Et tu, mater dilecta B. — 17, 4 Et tu subveni A. — Str. 18 und 19 umgestellt A. — 18, 4 Meis manibus repelle A; Meque manum compelle B. — 19, 1 compeccavi A. — Str. 20 sqq. fehlen A. — 23, 3 sit fehlt B. — Vgl. Mone II, 371.

95. De beata Maria V.

- | | |
|--|---|
| 1. Mater, gaude,
Fons mei gaudii,
Maior laude
Cuncti praeconii
Filiorum,
Novo more
Praecelsa meritis,
Divo rore
Fis mater capitis
Et membrorum. | In merendo;
Nos minus fertilis
In perdendo
Mater damnabilis
In infectis. |
| 2. Fatus audis
Divalis nuntii,
Iesum claudis
In claustro lilii
Puritatis,
Tu per idem
Fis mater omnium,
Qui per fidem
Sequuntur filium
Caritatis. | 4. Te laudamus,
[Assis] his coetibus,
Et oramus,
Velis germinibus
Misereri;
Tua mella
Dulcedo superat,
Sedat bella,
Discordes foederat,
Mater cleri. |
| 3. Siccans picem
Fermentis veteris
Tu radicem
Virtutis miseris
In electis | 5. Desolatis,
O mater adveni,
Tibi datis
Potenter subveni,
Parce, pia,
Ne draconis
Fallantur fraudibus
Nec leonis
Frangantur faucibus,
O Maria. |

Pro matris iure de natis sit tibi curae.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343. anni 1351.

96. De beata Maria V.

- | | |
|---|---|
| 1 a. <i>Mente gaudens exsultabo,
Dei matrem collaudabo,
Cui carmen decantabo
Cordis cum laetitia,</i> | 1 b. <i>Te laudantis sume votum,
Malum a me pelle totum
Et amoris auge votum,
Virgo plena gratia.</i> |
| 2 a. <i>Aurem tuam huc inclina,
O virgo puerpera,
Desolatum, lux divina,
Consolari propera.</i> | 2 b. <i>Porta patens caelestina,
Pietatis viscera
Nulli claude, nos, regina,
Nato tuo foedera.</i> |
| 3 a. <i>Dulci nato lac propina
Ei praebens ubera,
Ut me salvet a ruina,
Iure matris impera.</i> | 3 b. <i>Aula regis crystallina,
Mendicis dapifera,
Gratiae Dei piscina,
Dele mea scelera.</i> |
| 4 a. <i>Ave, virgo iucundata,
Gabriele salutata,
Laetis arrhis subarrhata,
Favus mei melculi;</i> | 4 b. <i>Ave, virgo desponsata,
Impraegnata, gravidata,
Rore caeli fecundata,
Zelus mei corculi.</i> |
| 5 a. <i>Ave, flatu concepisti,
A reatu nos lavisti,
Mundo tristi subvenisti,
Rosa vernans verculi;</i> | 5 b. <i>Ave, solem genuisti,
Stella solem protulisti,
Virga florem peperisti,
Arca tabernaculi.</i> |
| 6 a. <i>Ave, lumen Simeonis,
Madens vellus Gedeonis,
Sponsa prudens Salomonis,
Ablutrix piaculi;</i> | 6 b. <i>Ave, solis florens ortus,
Stella maris, tutus portus,
Ex te, mater, rex est ortus,
Genetrix puerculi.</i> |
| 7 a. <i>Ave, morum disciplina,
Tu caelorum es regina
Et dolorum medicina,
Renovatrix saeculi;</i> | 7 b. <i>Ave, gemma pretiosa,
Radix sancta virtuosa,
Virga Iesse fructuosa,
Liberatrix populi.</i> |
| 8 a. <i>Ave, stella radiosa,
Florens vitis liliosa,
Splendor poli, mundi rosa,
Datrix vitae pabuli.</i> | 8 b. <i>Ave, virgo mater pia,
Mundi salus, vitae via,
Spes lapsorum es, Maria,
Latrix pacis osculi.</i> |
| 9 a. <i>Ave, decus puellarum,
Imperatrix reginarum,
Vera salus animarum,
Tutrix mundi tremuli;</i> | 9 b. <i>Ave, vincla peccatorum,
Mater regis angelorum,
Laxa, firma spes reorum,
Tela frangens aemuli.</i> |
| 10 a. <i>Ave, virga, pandis florem,
Stella, novum gignis solem,
Virgo mater, paris prolem,
Redemptorem saeculi;</i> | 10 b. <i>Ave, virgo gloriosa,
Mater Christi generosa,
Caritate uberosa,
Radius carbunculi.</i> |

- | | |
|--|--|
| <p>11 a. Ave, virgo, quae portasti
Deum verum, quem lactasti,
Plagas nostras tu sanasti,
Gratiae vas ferculi;</p> <p>12 a. Ave, caelis honoraris
Et in terris adoraris,
Iuxta natum collocaris,
Advocata queruli;</p> <p>13 a. Ave, mater, placata natum,
Ora patrem ex te natum,
Per te castrum sit collatum
Patris habitaculi;</p> | <p>11 b. Ave, virgo Dei parens,
Tori viri tactu carens,
Incorrupta semper manens,
Luna lucis speculi.</p> <p>12 b. Ave, tuam opem quaero,
Miser ego non despero,
Ad te curro, quamvis sero,
Turris defensaculi.</p> <p>13 b. Ave, virgo, te saluto,
Miser languens faecis luto,
Me salvari per te puto,
Vale mille milies.</p> |
|--|--|
14. Ave, pone me sub tuto
A serpenteque versuto
Tuearis forti scuto,
Nato reconcilies.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343 anni 1351. — 1, 6 omne pelle totum. — 2, 1 hic. — 2, 5 parens. — 4, 6 Stella florem. — 4, 7 florem fehlt. — 12, 3 collocatum. — Die Hs. bezeichnet das Stück als „Sequentia de beata virgine;“ die Bezeichnung kann nur der Form, nicht dem Gebrauche gelten, wie schon das Reden des Dichters aus der Einzahl andeutet.

97. Oratio ad beatam Mariam V.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Mole pressus
huius miseriae,
In qua sede
privatus gloriae
Poenas luo
primae superbiae,
Ad te clamo,
fons indulgentiae,
In qua sola
spem ponunt veniae
Desolati.</p> <p>2. Stella maris
et virgo virginum,
Flos decoris,
quae lumen luminum
Infudisti
tenebris hominum,
Pelle noctem
meorum criminum,
Stella, per quam
transit ad terminum
Nox peccati.</p> | <p>3. Scio, mater,
quod ab infantia
Omni carens
carnis spurcitia
Sic es sacra
respersa gratia,
Quod illaesa
pudoris gratia
Attulisti
promissa gaudia
Verbi Dei.</p> <p>4. Per hanc mihi
concede gratiam
Deformatam
mentis infantiam
Reformare
per continentiam,
Ne ob foedam
carnis lasciviam
Me fraudatum
effectu sentiam
Sanctae spei.</p> |
|--|--|

5. Circumventus
erroris spiritu
Teophilus
et rerum ambitu
Totus stabat
in mortis aditu,
Cum illius
deflexa gemitu
Post terrorem
hunc ab interitu
Retraxisti.
6. Me serpentis
prava suggestio
Tuo, mater,
contempto filio
Totum facit
servire vitio,
Sicque mortis
me manet regio,
Nisi per te
reformer solio
Iesu Christi.
7. Ildefonsus,
antistes inclitus,
Post laborem
devoti spiritus,
Quo te laudat,
dignus est habitus
Uti veste
collata caelitus,
Per quam eius
accepta servitus
Monstraretur.
8. Pauper, nudus
et miserabilis
Ad te clamo,
regina nobilis,
Profer stolam,
qua mater sterilis
Me privavit,
ne contemptibilis
Sim, cum dies
illa terribilis
Adducetur.
9. Adulescens
intra coenobium
Carnis lapsus
in desiderium,
Dum ad opus
exit venerium,
Praefocatur
lapsus in fluvium,
Quem de morte
vivum ad medium
Mox reducis.
10. Sic per motum
carnis illicitum
Mente vagans
extra propositum
Morti meum
addixi spiritum,
Vivifica me,
ne post obitum
Expers fiam,
per carnis meritum
Verae lucis.
11. Alter quidam
carne deposita
Propter carnis
perversa merita
Sepultura
privatur debita,
Sed sub lingua
rosa mox edita
Locum dignum
per tua monita
Reddit ei.
12. Flos caelestis
et vitae liliū,
Christum roga,
florem convallium,
Ne me terra
privet viventium,
Sed post carnis
huius excidium
Locum mihi
praestet et solium
Requiei.

13. Vas marinis
iniectum fluctibus,
Ferro vinctum
et plenum opibus
Per te sine
regentis manibus
De remotis
adductum partibus
Creditoris
repente foribus
Est illatum.
14. In hoc mari
pleno periculis,
Ne peccati
collidar scopulis,
Castitatis
me stringe vinculis,
Ut semotis
carnis obstaculis
Portum petam
tuis discipulis
Praeparatum.
15. Post Hebraeus
ad viri reditum
Reddi petit
thesaurum creditum,
Sed per tuum
mox unigenitum
In hac fraude
videt se proditum,
Qui solutum
testatur debitum
In pictura.
16. Sponde, mater,
pro tuo puero,
Qui transgressor
factus est utero,
Sibi timet
a verbo aspero,
Cum requiret
torator a misero,
Quidquid modo
mali commiserit
Cum usura.
17. In maerore
sedebat civitas,
Minas sibi
timens impositas,
Sed repente
clausis iucunditas
Per te redit,
quae maestos visitas,
Iuliano
per poenas subitas
Condemnato.
18. O regina
digna memoria,
Hostis, mundi
et carnis vitia
In me movent
diversa proelia,
Sed da pacem,
tu patris filia,
Et eiectum
tuo concilia
Mater nato.
19. Te iocando
quidam de populo
Dato tibi
desponsat annulo,
Sed post sponsam
quaerens ex saeculo
Commonetur
nocte miraculo
Ne pudorem
solvat in lectulo
Te neglecta.
20. O pudoris
insigne speculum,
Virgo, tuum
serva discipulum,
Ne mens laesa
per carnis stimulum
Votum frangat
et solvat cingulum,
Rea fiat
per culpae scrupulum
Et infecta.

Cod. Duacen. (ol. Marchianen.) 49. saec. 13. in. A. — Cod. Parisin. 3639. saec. 15/16. B. — 2, 3 Stella maris A. — 2, 4 et lumen B. — 10, 6 adduxi B. — 11, 6 diversa merita A. — 11, 7 sq. mox rosa sub lingua A. — 15, 4 Reddit B. — 16, 2 pro suo B. — 18, 3 mundus B; carnis et mundi A. — 19, 5 fehlt B. — Verfasser dieses Liedes ist der Dichter des Psalteriums „Ave, lignum, quod suo tempore“; B nennt als Verfasser den hl. Bernhard, natürlich mit Unrecht.

98. De beata Maria V.

- Non iam discordant mater virgoque, sed ipsis
 Litibus exclusis se pacis ad oscula vertunt.
 Hic natura silet, logicae vis exsulat omnis,
 Rhetoricae perit arbitrium ratioque vacillat.
5. Haec est, quae nutu divini muneris usu
 Nata patrem natumque parens concepit, honorem
 Virgineum retinens nec perdens iura parentis.
 Haec est stella maris, via vitae, porta salutis,
 Regula iustitiae, limes pietatis, origo
10. Virtutis, veniae mater thalamusque pudoris,
 Hortus conclusus, fons consignatus, oliva
 Fructiferans, cedrus redolens, paradus amoena,
 Virgula pigmenti, vinaria cella, liquore
 Praedita caelesti, nectar caeleste propinans,
15. Nescia spineti florens rosa, nescia culpaе,
 Gratia, fons expers limi, lux nubila pellens,
 Spes miseris, medicina reis, tutela beatis,
 Proscripti reditus, erranti semita, lumen
 Caecis, delectis requies, pausatio fessis.
20. Haec est, quae primos casus primaeque parentis
 Absternit maculas, vincens virtute reatum,
 Diruta restituens, reddens ablata, rependens
 Perdita, restaurans amissa, fugata repensans,
 Post vespertinos gemitus nova gaudia donans,
25. Post mortis tenebras lucis novitate relucens.
 Cuius ad adventum redit aetas aurea mundo,
 Post famem pietas, post culpas gratia, virtus
 Post vitium, pax post odium, post triste iocosum.
 Ut rosa spineti compensat flore rigorem,
30. Ut dulcore suo fructum radicis amarae
 Ramus adoptivus redimit, sic crimina matris
 Ista luit matremque facit sua nata renasci.

Cod. Lincen. (Liber de laudibus BMV.) Ce VII 5.

99. Ad beatam Mariam V.

O enixa praeter morem
 Maris stella verum solem,
 Creatura creatorem,
 Virgo Deum, virga florem,

Per illius nos splendorem
Et saporem et odorem
Duc ad vitam meliorem,
Quorum esse redemptorem
Non sinas immemorem.

Cod. Londinen Reg. 7 A VI saec. 14/15.

100. De beata Maria V.

- | | |
|--|--|
| 1. O insignis sponsa Dei,
Mater alma sanctae spei,
Lignum vitae almifium,
Sertum ferens praecipuum. | 3. Paradisus voluptatis
Aquis vitae irriguus,
Fons totius bonitatis
Lacte et melle profluus. |
| 2. Ostende nobis sobrias
Sponsi et sponsae nuptias,
In illa dulci patria
Fructu vitae nos satia. | 4. Puro lacte, pio melle
Nostra infundens pectora
Fac nos pios sine felle
Et puros sine macula. |
| 5. Deus pater, Deus fili,
Deus amborum caritas,
Tibi soli laudabili
Sit honor atque claritas. | |

Orat. ms. Tegurinum anni 1467. Clm. Monacen. 19991.

101. De beata Maria V.

- | | |
|--|---|
| 1. O Maria, expers paris,
Salve, virgo singularis,
Pensa, pia, quod vocaris
Porta caeli, stella maris,
Fons misericordiae. | 2. Stirpis Iesse virga florem
Edis, stella gignis solem,
Nata patrem, virgo prolem
Et in partu sola molem
Non sentis angustiae. |
| 3. Placa patrem, ora natum,
Ex te verbum incarnatum,
Ut condonans mis reatum
Me videre suum gratum
Vultum det rex gloriae. | |

Cod. Londinen. Vespas. D 9 saec. 15. — Das Lied macht ganz den Eindruck, als sei es nur ein Bruchstück (Schluss) einer Sequenz. Feststellen konnte ich es bisher nicht, weshalb ich mich begnügen muß, die Vermutung auszusprechen.

102. De beata Maria V.

- | | |
|---|---|
| 1. O Maria, mater Christi,
Sola Christo placuisti,
Sola digna tu fuisti
Ferre mundi pretium. | 2. Felix venter, qui portavit,
Felix virgo, quae lactavit,
Felix mater, quae gestavit
Summi patris filium. |
|---|---|

3. Ad te, virgo, manus tendo,
Me peccasse reprehendo,
Fundo preces ad te flendo,
Ut sis in auxilium.
4. Peccatoribus teneris
Opem ferre; cur? si quaeris,
Audi quare, si digneris,
Castitatis lilium.
5. Quia verbum, incarnatum
Propter hominis peccatum,
Tibi confert principatum
Caelestium, terrestrium.
6. Eia, mater [illibata]
[Eia nostra] advocata
Redemptori Christo grata,
Respice suspirium.
7. Funde preces, placam Deum,
A peccatis solve reum,
Nil negabit, quidquid eum
Rogas, non est dubium.
8. Dum precaris salvatorem,
Iram vertit in amorem
Et convertit peccatorem
Et praestat subsidium.
9. A te ergo non recedo,
Vita nostra, spes, dulcedo,
Per te me salvandum credo,
Vera spes credentium.

Orat. ms. Gelriense saec. 15. Cod. Bremen. c 15. — 2, 1 te portavit. —
3, 4 sis mihi in. — 4, 3 quare, fieri digneris. — 5, 1 Quia ex te verbum.

103. Oratio ad beatam Mariam V.

- O Maria, mater Dei,
Habe curam, quaeso, mei
Et, quod rogo corde toto,
Ante mortem, dum aegroto,
5. Daemonum repelle minas,
Me custodi neque sinas
Per languorem delirare
Sensum meum nec errare
Tuam propter pietatem,
10. Sed ad omnem voluntatem
Christi rectus ut perduret,
Tua virtus hoc procuret.
Virgo clarior aurora,
In tremenda mortis hora
15. Post finitos temporales
Annos, quando corporales
Oculi clauduntur mei,
Meae salus esto spei
Et, quod mente rogo tota,
20. Loca ductus ad ignota.
Post hanc villicationem
Dum pravorum rationem
Cogor reddere factorum,
Ubi nullus amicorum
25. Me iuvabit, neque pater
- Neque soror neque frater,
Christi vulnera per quina
Ab inferni me sentina
Liberes et per cruorem
30. Sanguinisque per sudorem,
Plagas crebrasque virgarum,
Fellis poculum amarum,
Sputa, probra, quibus laesus
Fuit et in vultu caesus
35. Colaphisque verberatus,
Spinis demum coronatus,
Lanceaeque per fixuram
Et per mortem crucis duram,
Quando clamans exspiravit
40. Et sic mundum reformavit.
Per dolorem, quo flevisi
Totam passionem Christi,
Cunctis locis a poenarum,
A ministris tenebrarum,
45. Pia mater, me defendas,
Mihi, precor, et ostendas
Sacrum tui ventris fructum.
Tuum, virgo, per conductum
Femina, florum decora,
50. Mihi, precor, hoc implora.

- | | |
|---|---|
| <p>Ut sic vivam semper docte
 Mane, sero, die, nocte
 Taliterque dormiendo,
 Vigilando vel iacendo,
 55. Sedens, stans vel incedendo,
 Manducando vel bibendo,
 Loquens atque meditando,
 Vivam sic et operando
 Incessanter carne, mente,
 60. Pia virgo, te gerente</p> | <p>Filii per manum fortem
 Usque corporis ad mortem,
 Ut in morte per te piam,
 Quae petivi, cunctis fiam
 65. Tuis dignus adiumentis
 Et sic salver a tormentis.
 Pater praestet hoc et natus,
 Sacer utriusque flatus,
 Trinus unus, qui cunctorum
 70. Dominatur saeculorum.</p> |
|---|---|

Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 54 h 8. anni 1410. — 49 florum tam decora. — Von demselben Anonymus wie Nr. 106.

104. Ad beatam Mariam V.

- | | |
|--|---|
| <p>1. O Maria, miserorum
 salus et refugium,
 O Maria, una salus,
 una spes fidelium,
 O Maria, esto pia
 meum ad auxilium.</p> <p>2. O Maria, iam audito
 tuo dulci nomine
 Dissipantur graves imbres
 paenitentis animae,
 Et paulisper ampliori
 illustratur lumine.</p> <p>3. Ora Deum, qui te matrem
 voluit eligere,
 Iube carnem, quam tu sola
 meruisti gignere,
 Et exora Christum tuum,
 ne me velit perdere.</p> <p>4. O Maria, totum venit,
 quidquid tu rogaveris,
 Ille Deus vult omnino,
 quidquid tu volueris,
 Illa caro non praesumit,
 nisi quod tu iusseris.</p> | <p>5. O beata mediatrix,
 quae sic potes omnia,
 Cuius velle nec perturbat
 Dei praescientia,
 Nam praescivit totum esse,
 quidquid tu vis, domina.</p> <p>6. Pro me saltem semel ora,
 et hoc mihi sufficit,
 Velle tuum, o Maria,
 satis mihi proficit,
 Quia, tantum ex quo dicis,
 statim Deus efficit.</p> <p>7. O regina, cui cuncta
 fiunt possibilia,
 Quidquid petis, tecum petit
 tota caeli curia,
 Totum quaerens, totum volens,
 quod vult sua domina.</p> <p>8. O Maria virgo, roga
 tuum unigenitum,
 Ut conservet in me tandem
 castitatis liliam,
 Te iuvante quo petente
 merear tripudium.</p> |
|--|---|

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. 16/18. — 2, 3 imbre. — 5, 3 perturbet. — Neben Str. 5 hat eine spätere Hand geschrieben: falsum mendacium.

105. De beata Maria V.

- | | |
|---|--|
| <p>O Maria, quae es pia,
Clemens, digna, tam benigna,
Talis exstas bonitatis,
Excellentis dignitatis,
5. Tanta mirae pietatis,
Sic quod nullum dedignaris,
A quo, virgo, salutaris,
Nec peccantes aspernaris,
Dum ab ipsis invocaris.
10. Preces audis et exaudis
Tuum nomen invocantes,
Eia, mater, te amantes
Rege, salva deprecantes.
Normam dona paenitendi,
15. Tempus recte da vivendi,
Doce formam confitendi,</p> | <p>Omne malum dimittendi
Et peccata fugiendi,
Deum verum metuendi
20. Et ad caelos veniendi,
Te cum sanctis intuenti
In caelesti patria
Vera cum laetitia.
Hic in terris inste da vivendi,
25. Nulla cedat unquam
hora delinquendi,
Sed mens detur bona faciendi,
Per te, sancta,
mitis, dulcis virgo,
Virgo pia, Christi mater et filia,
O Maria, nostra spes et gratia,
30. Nobis sis semper propitia.</p> |
|---|--|


Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 20015. anni 1500.

106. Ad beatam Mariam V.

- | | |
|--|---|
| <p>O Maria, spes reorum,
Miseratrix miserorum,
Tuam per virginitatem
Mentis, carnis puritatem,
5. Per annuntiationem
Christique conceptionem
Sacrumque per eius ortum,
Qui salutis confert portum,
Tuique per vim doloris,
10. Quo eiusdem redemptoris
Es livore cruciata,
Per gaudium, quo laetata
Eius resurrectione
Eras et ascensione,
15. Tuumque per diem laetum,
Quando super omnem coetum
Exaltavit angelorum
Te reginam saeculorum,
Et amoris per amplexus,
20. Tibi natus quibus nexus
Est in aevum tuque nato
In amoeno caeli prato,
Per largam et eximiam
Tuam misericordiam,
25. Qua tu misericordiae</p> | <p>Nec non totius gratiae
Digne mater appellaris
Et pro reis deprecaris,
Templum Dei consecratum,
30. Tuum, precor, ora natum,
Ut propitiatur cunctis
Vivis, etiam defunctis,
Qui vel quae me offenderunt,
Contra me vel deliquerunt.
35. Meis fac ut inimicis
Pius sit, ut non ultricis
Flammae sentiant abyssum
Pravitatis per commissum.
Peccatorum, quaeso, nexus
40. Solvat utriusque sexus,
Contra quos existo reus,
Sic ut salvet illos Deus,
Solvat functos et illorum
A reatu peccatorum
45. Tuam propter pietatem,
Fidem, spem et caritatem.
Fac, ut vivis det constanter,
Largiatur abundanter
Animabus defunctorum
50. Locis frui beatorum.</p> |
|--|---|

- Mihi, fac, ut fidem rectam
Christus det et spem perfec-
tam,
Et, quod precor nunc, attende;
Toto corde, tota mente,
55. Tota precor et virtute
Sempiterna pro salute.
Me diligere fac eum,
Ut me proximumque meum
Cum compassione tota,
60. Quoadusque fiat nota
Salus mihi sempiterna
Per te, virginum lucerna.
Ne me mortis tangat luctus,
Fac, ut in hoc mundo fructus
65. Dignos agam paenitendo
Paenitensque persistendo.
Mihi digne da deflere,
Mentis carnisque delere
Per lamenta, rosa florum,
70. Sordes cunctas vitiorum,
Tuam per precationem
Fletus post absolutionem
Nullum recommittam scelus,
Sic me Christi tangat zelus.
75. Veram des humilitatem,
Mentis, carnis castitatem
Pia interventione
In omni temptatione,
Deprecor, et in adversis
80. Huius saeculi diversis
Fac me vere patientem,
Recte semper incedentem.
Da per Christum, tuum natum,
Mihi cor illuminatum,
85. Destruere gulositatem,
Tribue sobrietatem
Sapientiamque veram,
Qua me recte semper geram,
Intus, extra vitam rectam
90. Da constanter et perfectam,
Talem, quae nec ipsum Deum
Proximum nec unquam meum
Scandalizet vel offendat,
Sed et mihi nunc ostendat,
95. Et in morte te felicem
- Sempiternam adiutricem.
Mater atque virgo pura,
In praesenti ac futura
Mea tribulatione,
100. Mentis, carnis passione,
Cunctis, quibus hic infestor
Die, nocte vel molestor,
Da perfectum coniuuamen
Spiritaleque solamen.
105. Mihi digne da tractare
Tui, virgo, corpus nati,
Per quod integram peccati
Habeam remissionem,
Lucis quoque regionem.
110. O regina paradisi,
Mala, semper quae commisi
Hic indigne manducando
Corpus Christi vel tractando,
Cunctaque peccata prava
115. Ante mortem, quaeso, lava,
Sic ut cunctis fiam purus
A tormentoque securus
Dono tuae pietatis;
De his cunctisque peccatis
120. Conscientiam da mundam
In extremis ac per undam
Fac ut cedat lacrimarum,
Quidquid superest amarum.
Spiritalem per amorem
125. Cunctum deleas errorem,
Gulam, curam corporalem,
Omnem motum temporalem,
Cuncta mundi blandimenta
Spiritus per documenta.
130. Cuncta tolle, mater viva,
Menti carnisque nociva,
Menti carnisque salutem
Confer nati per virtutem.
Sempiternae lucis testa,
135. Cuncta, quae petivi, praesta,
Da constantiaeque donum
Et in cunctis finem bonum.
Pater praestet haec et natus,
Sacer utriusque flatus,
140. Trinus unus, qui cunctorum
Dominatur saeculorum.

Orat. ms. Scotorum Vindobonae, 1410.



107. De beata Maria V.

1. O Maria, sponsa Christi,
Castitatem dum vovisti,
Templum esse meruisti
Summi regis filii.
O Maria, sceptrum regis,
Virga Iesse, mater legis,
Flos pudoris, salus gregis,
Baculus consilii.
2. Sacrum flamen te replevit,
Vitae verbum dum quievit,
Mundi scelus quod delevit,
In te, virgo regia.
Me peccantem tua prece,
Ne succumbam hostis nece,
Defoedatum mortis faece
Munda, o egregia.
3. Sordes purga delictorum,
O dulcedo supernorum,
Vitae portus miserorum,
Sors perennis gratiae.
Manum praebe desperato
Et peccatis obligato,
Me lucrare tuo nato
Spe perunctum veniae.
4. Vero sole illustrata,
Quasi cedrus exaltata,
Favo mellis comparata,
Angelorum domina,
Fundamentum es honorum
Et cementum perfectorum,
Tu columna peccatorum,
Mittis vitutum semina.
5. Quae non flore deflorata,
Virgo manens illibata,
Verbo patris onerata
Dei paris filium,
Adae culpa nos infecit,
Morsu pomi dum refecit
Se, quem serpens sic eiecit,
Intrans in exsilium.
6. Sic offendit creatorem
Non repellens fraudatorem,
Quem post sentit deceptorem,
Labore dum adffigitur.
- Immortalis fit mortalis,
Tota prole subiugalis,
Mundi status inaequalis,
Sic homo laesus laeditur.
7. Sed tu, mater conditoris,
Spes salutis, flos honoris,
Reparatrix transgressoris,
Medicina gratiae,
Miro modo subvenisti,
Quando Deum genuisti,
Nos his poenis exemisti,
Novae nutrix veniae.
8. Per te mare transmeatur,
Omne malum evitatur,
Omnis labor superatur,
Ave, mundi gloria;
Spes immensa peccatoris,
Virgo, mater conditoris,
Iram placa salvatoris,
Tu salutis gratia.
9. Ave, virga pastoralis,
Decor et pontificalis,
Dignitas sacerdotalis
Et virtutum cellula;
Tu lucerna veri solis,
Salvandorum firma polis,
Sustentamen nostrae molis,
Aaron tu virgula.
10. Se ipsum (tunc) exinavivit
Verbum patris nec amisit
Carne servi, quam admisit,
Deitatis gloriam;
Quam sic arte palliatam
Et mortali circumdatam
Tunica reddit velatam
Nativitatis gratiam.
11. Et de sede parentali,
Regno patris e regali
Alvo tuo virginali
Te vestitus prodiit;
Sic mundus venit in mundum,
Et hoc mare fit iucundum,
Mundus homo dum immundum
Liberandus adiit.

12. Hoc in mari remigantes
Et procellis fluctuantes,
O Maria, te laudantes
Aeternam duc ad patriam,
Nos dulcedo terrenarum,
Carmen suave Sirenarum
Lacum mergunt in amarum,
Nisi petas veniam.
13. Consolando desperatos
Nos ingratos redde gratos,
Confirmando defraudatos
In viam pacis dirige;
Virgo sancta, quid moraris?
Surge, scis, quod honoraris;
Natum quare non precaris?
Orando lapsos erige.
14. Nihil est, quod tibi neget,
Quia scit, quod mundus eget,
Te poscente corda reget
Spiritu consilii;
Culpas dele, ne tarderis,
Ut a nobis venereris,
Mater sancta, quid vereris
Opem ferre filii?
15. Nulla virtus repulsiva,
Florens rosa, pax, oliva,
Te molestat, reddis viva,
Mors quorum vita pascitur;
Ores ergo, ne draconis
Esca simus vel leonis,
Praeda simus ne praedonis,
Nostra qui morte alitur,
16. Et ne flammis accendamus,
A serpente ne rodamus
Et ab hoste ne stringamur
Sub poenarum vinculis;
Ibi dolor infinitus,
Ubi punit nos punitus
Hostis terrae et attritus
Plurimis periculis.
17. Salve, salva, sponsæ Christi,
Hos, quos poenis exemisti,
Quando Deum genuisti
David ex stirpe nobilis;
- Tempestate ne mergamur,
Ne procellis obruamur,
A spineto ne pungamur,
Concede, venerabilis.
18. Tu aurora solis ortum
Antecedens iam exortum,
Stilla mellis, rigas hortum
Sponsi, qui confloruit;
In quo flores quasi vitis,
Tactu, fructu, gustu mitis,
Cum a vino mundi sitis
Iam exstinctus maduit.
19. Calix Dei et praeclarus,
Vino plenus, hic amarus,
In futuro dulcis, carus,
Hic si inebriabimur;
Faex (eius) non est exinanita,
Psalmodia testis ita,
Peccatorum non oblita,
Ab ipsa nam potabimur.
20. Ergo, virgo specialis,
Fons signatus spiritalis,
Gemma fulgens virginalis,
Evæ culpam ablue;
Caput antiqui serpentis
Pede tere nos laedentis,
Cor concede paenitentis,
Reatus nostros dilue.
21. Mater, natum exorando
Et pro nobis supplicando,
Nos in bonis conservando,
Iunge caeli civibus;
Ut cum ipsis epulemur,
Congaudendo collaetemur,
Visu Dei iucundemur
Angelorum sedibus.
22. Creatura Dei sumus,
Caro nostra velut humus,
Vita volans quasi fumus,
Pertransiens opprimitur;
Fit et homo quasi fimus,
Dum putrescit terrae limus,
Virgo, vide, quales simus,
Misera deprimimur.

23. Homo inventate floret,
Senectute saepe dolet,
Sic arescet, sicut solet,
Tandem morti subditur;
Homo flori comparatur,
Dum de matre generatur,
Nam florendo defloratur
Et sic adnihilabitur.
24. Sed tu, virgo, non marcescis,
Quae florendo non vilescis,
Mundo fructu maturescis,
More fragrans balsami;
Impolluta sis polluto,
Sorde carens in hoc luto,
Tu protecta Dei scuto,
Sponsi decor thalami.
25. O praecincta virgo sole,
Laus immensa tibi soli
Nos ingratos mundi mole
Sereni vultu respice;
Praesta, virgo singularis,
Nulli iure coaequalis,
Quae prae cunctis dominaris
Dignitatis apice.
26. Ores ergo nunc pro clero,
Opem tuam, virgo, quaero,
Nos committe Deo vero
Cum devoto populo
Nec non sexu praedevoto
Femineo tibi noto,
Ores et pro mundo toto,
Sic succurre saeculo.

27. Ne peccando condemnemur,
Sed a malo liberemur,
Regi summo praesentemur
Sanctorum in agminibus,
Hoc praestare tu digneris,
Qui parcendo misereris,
Ut in nobis domineris
Nunc et semper per aeterna
Saeculorum saecula.

Clm. Monacen. 24804. saec. 15. — 9, 7 Sustentamentum. — 11, 5 hunc in mundum. — 18, 7 a fehlt. — 27, 8 ist überzählig; es kann entfernt werden, indem man im folgenden Verse saeculorum saeculis liest.

108. De beata Maria V.

1. O Maria, stella maris,
Medicina salutaris
Corporis et cordium,
Fons signatus, clausus hortus,
Via pacis, vitae portus,
Pauperis refugium.
2. In hac valle lacrimarum,
In hoc loco tenebrarum
Contra fraudes hostium
Nos custodi, nos defende,
Sis adiutrix et impende,
Quod est necessarium.
3. Gloriosa Dei mater,
Cuius natus exstat pater,
Patris unigenitus,
Cuius mentem praeparavit,
Cuius carnem praeaptavit
Utriusque spiritus.
4. Intercede pro peccatis
Apud fontem pietatis
Et misericordiae,
Fac nos vere paenitere
Et commissa sic deflere,
Dum tempus est veniae.

- | | |
|--|--|
| <p>5. Omnis virtus te decorat,
Omnis sanctus te honorat
In caelesti patria,
Omnes gentes benedicunt
Et laudantes tibi dicunt:
Ave, plena gratia.</p> | <p>7. Iesu, fili summi patris,
Iesu, fili summae matris
Et intactae virginis,
Qui de caelo descendisti
Et descendens induisti
Veri formam hominis,</p> |
| <p>6. Propter plagas crucifixi,
Quas cruentas flens vidisti
Nostra pro miseria,
Fac nos digne te videre
Et videndo congaudere
In perenni gloria.</p> | <p>8. Genetricis pia prece
Nos a luto, nos a faece
Peccatorum ablue
Et concede vitam puram
Et da pacem permansuram
Et salutem tribue.</p> |

Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20001. A. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 119824 saec. 15. B. — Aus ungenannter Quelle bei Milchsack I, 99. M. — 1, 6 Pauperum M. — Str. 3 und 4 bilden bei M den Schluss des Ganzen. — 3, 1 mater Dei B. — 3, 4 Cuius alvum M. — 3, 5 Primum David praeoptavit M. — 4, 5 Fac nos commissa deflere M. — 4, 6 Tempus adest veniae M. — Str. 5 u. 6 fehlen M. — Str. 7 u. 8 stehen vor 3 u. 4 M. — 7, 4 caelis M. — 8, 4—6 fehlen M.

109. De beata Maria V.

- | | |
|--|--|
| <p>1. O Maria, stella maris,
Porta caeli quae vocaris,
In sublimi throno sita,
Supplicantes tibi dita.</p> | <p>7. Ab his ergo conculcaris,
Sed a tuis adamaris,
Infers fluxum corporalem,
Aufers vitam spiritalem,</p> |
| <p>2. Christi mater, virgo pia,
Praeceptorum Dei via,
Involutus naevi sorde
Ad te clamo toto corde:</p> | <p>8. Infers malum, quod nos urat,
Aufers bonum, quod perdurat,
At tu, mundi quae regina,
Quae languentum medicina</p> |
| <p>3. Miserere, quaeso, mei,
Miserere, mater Dei,
Mala namque iam sunt multa,
Quae commisi, et adulta.</p> | <p>9. Appellaris, procul pelle
Mala plebis et avelle,
Tolle planctum, terge luctum,
Seda moti maris fluctum.</p> |
| <p>4. Mihi multum elanguenti
Et delicta confitenti
Heu, heu, quid sum ego,
Numquid tamquam pulvis ego?</p> | <p>10. Dirae necis tolle sortem,
Improvisam fuga mortem,
Sola virgo et intacta,
Decens, grata Deo facta.</p> |
| <p>5. Cur creatus, quare natus?
Nam sum cinis stercoratus,
Heu, dulcedo mundialis,
Quot et quantis urges malis!</p> | <p>11. Praebe mihi caeco ducem,
Quo ad veram ducar lucem,
Servitutis tuae donum
Da perenne mihi bonum.</p> |
| <p>6. Heu, quam gravem lugent poe-
nam,
Qui ad tuam sedent cenam,
Pandis opes, flectis mentes,
Odis bonis adhaerentes.</p> | <p>12. Huius autem mundi mare
Fac ut possim enatare,
Laeta proles et decora,
Deum ex te natum ora.</p> |

13. Meas audi, quaeso, preces,
Quem deturpant carnis faeces,
Cor emunda, purga pectus,
Os et linguam intellectus.
14. Dele prorsus foedos mores,
Sparge bonae mentis flores,
Te laudare me dignare
Et virtutem mihi dare
15. Contra hostes tuos velis,
Virgo sacra et fidelis,
Virens virga, florens rosa,
Tota pulchra et formosa.
16. Uva dulcis, vera vitis,
Fons hortorum, odor mitis,
Sanctitatis plenitudo,
Aequitatis rectitudo,
17. Hos converte, larga salus,
Quos praepungit doli palus,
Stirps praeclara, regis sponsa,
Lux apparens non abseonsa.
18. Templum Dei spiritale,
Te precantes, precor, ale,
Flos albescens et decorus,
Nescit sordem cuius thorus.
19. Pro devotis Deum ora
Tibi servis omni hora,
Clarum germen et regale,
Iesse genus speciale.
20. Delictorum solve nexus
Plebis utriusque sexus,
Vera fides et beata
Super caelos exaltata.
21. Lapsis tuum fer iuvamen,
Desolatis consolamen,
Pietatis altitudo,
Castitatis fortitudo.
22. Vas a Christo praepurgatum
Vel ab ipso consecratum,
Ad te clamo, ad te oro
Vitiorum strictus loro.
23. Illud, inquam, rumpe lorum,
Quo se regit vis malorum,
Rogo, precor, interpello,
Pulso supplex et apello
24. Tuam, virgo, pietatem
Et benignam maiestatem,
Esto pro me apud Deum
Interventrix, ut ad eum
25. Pervenire possint digne
Mea vota, et benigne
Donet plebi christianae
Per te semper Arianæ
26. Sectae ritus, argumenta
Evitare et figmenta.
Donet cunctis, qui te orant,
Qui requirunt et implorant,
27. Duraturam vitam, pacem
Bonam atque efficacem,
Donet terris ubertatem,
Det infirmis sanitatem,
28. Viam rectam deviatis,
Reddat sensum insensatis,
Donet lucem sempiternam
Et quietem his aeternam,
29. Qui fideles exstiterunt
Et qui bene crediderunt.
Sit laus illi sicut patri,
Honor tibi velut matri,
30. Virtus illi et potestas,
Tibi decus et maiestas,
Nunc et semper et per saecula
Saeculorum infinita.

Brev. ms. Soliniacense (?) saec. 13. Cod. Londinen. Harl. 2928.

110. De beata Maria V.

1. O Maria, virgo pia,
Plena Dei gratia,
Inter Deum et me reum,
Precor, ut sis media.
2. Virgo sancta, mater casta,
David proles inclita,
Pia prece me a faece
Peccatorum suscita.

- | | |
|---|--|
| 3. Ille ductor et instructor
Assit mihi spiritus,
Qui te mundam et fecundam
Fecit esse caelitus. | 6. In hac vita sic me dita
Donis spiritualibus,
Dando pignus, quo sim dignus
Gaudiis caelestibus. |
| 4. Illa, inquam, ne delinquam,
Me conservet gratia,
Qua, qui flevit, te replevit,
Inter tua brachia. | 7. Pro meorum propinquorum
Te salute postulo,
Ut laetentur et solventur
Ab omni periculo. |
| 5. De mortalis vitae malis
Me dignanter erue
Et post mortem fac consortem
Quietis perpetuae. | 8. Virgo lenis, a terrenis
Munda nos affectibus
Et cunctorum peccatorum
Nos absolve nexibus. |

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19363. saec. 15.

III. De beata Maria V.

- O Maria, virgo pia,
Maris stella, Dei cella,
Mater Dei, sponsa Christi.
Virgo digna ac benigna,
5. Cunctis sanctis sanctior,
Virgo gravis ac suavis
Mellis stilla dulcior.
Speciosa, pretiosa,
Gloriosa, generosa,
10. Fons misericordiae,
Via vitae, causa viae,
Omnis boni copia.
Reginarum flos cunctorum,
Laus sanctarum animarum,
15. Spes reorum, pes lapsorum,
Angelorum gaudium,
Tuo nato nos paccato,
Qui creavit omnia,
Nobis quoque impetrato
20. Sempiterna gaudia.

Cod. Zwethalen. 36. saec. 12. add. saec. 12. — A. — Cod. Trecen. (ol. Claravallen.) 1612. saec. 15. B. — 8 Pretiosa, speciosa B. — 9 Generosa, gloriosa B. — 11, causa vitae B. — 14. Dominarum laus B. — 15. spes lapsorum A. — 16. Angelorum indeficiens gaudium AB. — 19. Nobisque AB. 20. — Aeterna A.

112. De beata Maria V.

1. O Maria, virgo pia,
Mater Dei, caeli via,
Angelorum domina,
Me conforta, me defende,
Contra hostes manum tende,
Delens quaeque vitia.
2. O Maria, mater lucis,
Quae ad lumen nos reducis,
Esto mihi praevia,
Servi tui preces audi
Et intentum tuae laudi
Christo reconcilia.
3. Ora regem tuum natum,
Ut me multis implicatum
Curis et erroribus
Mundum reddat a peccatis
Et infundat veritatis
Lumen meis sensibus.
4. Cum fervore pietatis
Det amorem paupertatis,
Cor mundum et humile,
Cor contritum, abnegatum,
Rectum, gratum, transforma-
tum,
Patiensque stabile.
5. Mores pios et iucundos
Et ab omni sorde mundos,
Quos exornet pietas,
Appetitum aeternorum
Et contemptum mundanorum,
Ubi tanta vanitas.
6. Et agenda doce nosse,
Velle simul atque posse
Pro me, pia, postula,
Ut cum mortis solvam iura
Me defendas a pressura
Per aeterna saecula.

Cod. Gottwicen. 85. saec. 16. A. — Corner, Magnum promptuarium 1645,
p. 212 sq. mit der Angabe: Ex hortulo devotionis Hugonis Carthusiensis.
B. — 4, 1 caritatis B.

113. De beata Maria. V.

1. O Maria, virgo pia,
Stella maris, caeli via,
Angelorum domina,
Roga Christum, Deum vivum,
Ut perducatur me captivum
Ad caelorum agmina.
2. O Maria, vas honoris,
Medicina peccatoris,
Advocatrix pauperum,
Roga Iesum, pium regem,
Ut ad illum caeli gregem
Perducatur me miserum.
3. O Maria, caeli clavis,
Dulcis mater et suavis,
Dolentis solacium,
Me sub tua pone cura,
Libera me, virgo pura,
Placa mihi filium.
4. O Maria, sancta parens,
Flos de spina spina carens,
Pulchra, sine macula,
Serva tibi commendatum,
Illumina tenebratum,
Mea solve vincula.
5. O Maria, templum Dei,
Firmamentum nostrae spei,
Pietatis femina,
Audi preces huius rei,
Sordes purga cordis mei,
Relaxa peccamina.
6. O Maria, Deo grata,
O ter quaterque beata,
Plena Dei gratia,
Aduva me, virgo clemens,
Ne me sua leo fremens
Trahat ad supplicia.

7. O Maria, vitae vena,
Spiritali rore plena
Totaque dulcedine,
Prece tua salva reum,
Reple mentem et cor meum
Caelesti pinguedine.
8. O Maria, maris portus,
De qua vivus fons est ortus,
Qui sanat et satiat,
Odor tuae sanctitatis
Eruat me de peccatis
Et salvum me faciat.
9. O Maria, mitis rosa,
Sorech vitis pretiosa,
Vinum dans laetitiae,
Suscipe me, mater bona,
Me do tibi, mihi dona
Locum indulgentiae.
10. O Maria, caeli porta,
Desolatum me conforta,
Mihi sis propitia,
Protege me, Dei cella,
Ne involvat me procella
Et tempestas obvia.
11. Iesu, verbum summi patris,
Serva servos tuae matris
Locum donans veniae,
Salva reos, salva gratis
Et nos tuae claritatis
Configura gloriae.

Cod. Trecen. (ol. Claravallen.) 1612. saec. 15. — Weitgehende Entlehnungen aus Adam Victorinus.

114. De beata Maria V.

1. O mater, virgo virginum,
Tu castitatis lilium,
Trinitatis triclinium,
Vitam tulisti omnium,
O mater, virgo virginum.
2. Maria, fons paradisi,
Lignum vitae, quod quaesivi,
Per te mundus reffloruit,
Dum Deum per te coluit.
3. Tu nomen Evae flebilis
Mutasti, virgo nobilis,
Adae demis interitum,
Quem mundus sensit meritum,
O mater virgo virginum.
4. Te Moyses et Aaron
Praesignant, filia Sion,
Rubus ardet et non aret,
Virgo florens est et aret.
5. Virgo fecunda filio
Viro caret in saeculo,
Gedeonis mysterium
Tibi parat imperium.
6. Per te David opilio
Regni sedet in solio,
Te Salomon in ferculo
Throno signat eburneo.
7. Hoc opus est tam nobile,
Quod non sit ei simile,
Cuncta per te pacificat
Et universis imperat,
Dum te pater a saeculo
Thronum elegit filio.
8. Tu propitatio
Es in templo Dei,
Salutis responsio
A te datur ei,
O memento mei.
9. Tu candelabrum,
mensa panis vitae;
Defecti ieiunio,
Omnes advenite
Ob amorem vitae.

10. Fons indeficientiae,
Tu rivus affluentiae,
Quae nulli das invita,
Hortus clausus et signatus,
Flore, fructu amoenatus,
Ab homine nec scita.
11. Per filium imperium
Mater tenens aethereum,
Secum disponens omnia,
Certus sum, quod sit ita.
12. Virginalis speculum,
Per quod lucet saeculum,
Castitatis lilium,
Amoenitas florum
Et dulcedo morum.
13. Thalamus munditiae,
Thronus sapientiae,
Eia, quo rex gloriae
Christus sedet hodie.
14. Mira genitura,
Paret virgo pura
Dei patris filium,
In quo vita omnium,
Omnis creatura,
O virgo, me cura.
15. O mirum matris meritum,
Servum dum facit dominum,
Deum nostrum ac Dominum,
Dum imus fit omnium
Summitas summorum.
16. O mira humilitas,
Cui nulla vilitas,
Vilis est hominibus,
Per Mariam virginem
Nobilis nobilibus
Colla superborum
Calcans impiorum,
O donum donorum.
17. Stella maris praevia,
Salvos nos duc per devia
Ad vitae introitum
Et meritum habentium
Consortes fac iustorum.
18. Imperatrix omnium,
Regni tenens solium,
Tu cum sceptro radias,
Tu principatum habes
Regni caelorum,
Tu es laus angelorum.
19. Tu caelestis dulcedo,
Tu mater es amoris,
Virginitas, fecunditas,
Omnis expers doloris.
20. Tu civitas, festivitas,
In te boni sacietas,
Amplexus filialis,
Te recreat laetitia,
Tu mater curialis.
21. Nato iungis felicia
Ora cum amicitia,
O, quis audivit talia.
22. Radix immortalitatis,
Flos deliciositatis,
Sanctitatis fructus,
Dulce lignum, dulci dignum
Melodia quidem, quia
Vitam mundo portasti,
Mater filia.
23. Thronus regis, arca legis,
Botrus Cypri, spica nardi,
Odor suavitatis.
24. Tu balsamus, tu calamus,
Te decet regis thalamus,
Tu es Hesther pulcherrima,
Tu es Iudith fortissima,
Tu hostem mundi conteris,
Populum tuum eripis,
Virtus tua notissima.
25. Tu civitas iustitiae,
Voce plena laetitiae,
Te magni laudant carmine,
Te parvae canunt animae.
26. Mater misericordiae,
Tu tua pascis specie
Dilectum in meridie,
Tu fontem sapientiae,
O singularis gratiae
Hauris, mater clementiae.

27. Ex Aegypto, o Maria,
Hostis te duce pereat,
Virtus tua nos provehat
Ad manna nos promoveat,
Cibum carnis amoveat.
28. Tu nos post hoc exsilium,
Mater, transfer ad filium,
De terra nos lugentium
Redde terrae viventium.

29. Tu potes haec et omnia,
Regis mater et filia.
O novitatum novitas,
Tua regnat humilitas,
Tibi sit laus per filium,
O mater, virgo virginum.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin Scriptt. Eccl. 375. — 1, 1 Vale sancta virgo virginum; cfr. 1, 5; 3, 5; 29, 6. — 4, 3 Rubet. — 4, 4 et ardet. — 15, 4 ymis fit. — 19, 1 Tu curiae caelestis. — 26, 1 O mater. — 26, 6 Auris mater.

115. De beata Maria V.

1. O mundi prodigium,
Virgo lactans filium,
Deum maiestatis,
Tu Christi hospitium,
Insigne triclinium
Summae trinitatis;
Tu mortis remedium,
Tu vitae praesidium
Morti condemnatis,
Laudes vincis omnium,
Te nullus mortalium
Scit laudare satis.
2. Abigail turbinem
Mentis et acredinem
Irae mitigavit,
Precum per dulcedinem
Placans David sanguinem
Nabal conservavit;
Sic peccantem hominem,
Mortis in voraginem
Quem culpa prostravit,
Ad salutis ordinem
Per te matrem virginem
Deus revocavit.
3. Rex David insenuit
Senio confrigit
Viribus attritis,
Abisag coniacuit
Et sinu recaluit
Pulchrae Sunamitis;
Sic patris, quae tepuit,
Caritas referbuit
Per te, virgo mitis,
Botrus Cypri floruit,
Quo mundus immaduit
Vino verae vitis.
4. Bersabee mittitur,
Dulciter excipitur
Throno Salomonis,
Thronus matris iungitur,
Adoniae petitur
Abisag in donis;
Sic virgo innititur
Dilecto et fruitur
Potissimis donis,
Nec damnari patitur
Suos, sed abraditur
Lex damnationis.

- | | |
|---|--|
| <p>5. Dum Assuerus imperat,
Hester Aman superat,
Mulier pusilla,
Holofernem verberat
Et concives liberat
Iudith fortis illa;
Sic, dum virgo generat,
Homo spem recuperat,
Nam felix armilla
Leviathan vulnerat,
Homo praedam lacerat
Ex eius maxilla.</p> | <p>6. Ergo, dulcis domina,
Benedicta femina,
Spes desperandorum,
Tua per precamina
Mudentur peccamina
Supplicum tuorum;
Caelitus illumina,
Penitus elimina
Vires temptatorum
Et per haec discrimina
Nos laetos ad agmina
Ducas beatorum.</p> |
|---|--|

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15.

116. De beata Maria V.

- O pia virginitas, dulcis, fecunda, decora,
Virgineo numero sapiens et sola beata,
Princeps cunctarum, quae clara lampade fulges,
Sub cuius clipeo tute latuere fugientes,
5. Sub quo non tantum fugiunt, sed saepe triumphant.
Virgo rata atque omni parte inviolata, tulisti
Quae partum tantum, caelive fenestra serena,
Orbem terrarum quae nomine virginis imples,
Virgo supernalis, quae gaudia sumis ab Evae
10. Planctu, sub summo regno sine fine beata,
Stabilis aeterno tempesti stella marini,
Omnis sinceri nautae dux nempe fidelis.
Virgo sacra, burgum, spes nostra, inimica superbis,
Sublimata, poli quae altissima digna petisti
15. Et solis vestem, caeli regina, nitentem;
Sola sine exemplo, virgo mundana, tulisti
Iustitiae solem, fontem pietatis amoenum.
Virgo sacra atque alma dotataque sensibus altis,
Cui nec prima fuit nec consimilisve secunda,
20. Quaeque Deo vero templum divina sacrasti.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. zweimal fol. 106 b A, fol. 110 a. B. — 1, 1 Vale o virginitas A; Vale pia virginitas B. — 2 munero B. — 4 fugentes A. — 5 non fehlt B. — 19 consimilis nec secunda A.

117. De beata Maria V.

O quam pulchra polo residere Maria probaris,
Quae tam pulchra solo manibus depicta pararis,
Digna coli regina poli, paradisus amoenans,
Sol celebris, lux in tenebris, tenebrosa serenans,

5. Hymnidicus chorus angelicus famulans tibi plaudit,
Magnificus rex pacificus, quidquid petis, audit.
Tu requies, species, saties et manna decoris,
Nutrix, adiutrix, tutrix in agone laboris.
Libanus et platanus, clibanus per flamen amoris,
10. Balsamus et thalamus, calamus, spiramen odoris.
Tu rosa, tu lilium, crystallus, ebur, therebintus,
Chrysolithi pretium superans, pretiosa iacinthus.
Stella decoris, cella pudoris, mater honoris,
Stilla liquoris, gemma valoris, lima doloris,
15. Summe decor, te corde precor, demissus in aequor,
Mente necor, te, virgo, sequor, languentibus aequor.
Ad veniam veniae venio, veniam mihi quaero,
Ad portum patriae te remige pergere spero.
Stella maris, tu sola maris sine semine natum,
20. Virgo, paris sine more paris sine semine natum.
Mentes illustra nostras, o vera lucerna,
Nam sine te frustra quaeruntur regna superna.
Ecce, Maria, tibi miser obtulit hoc modulamen,
Tu tamen esto sibi tutamen in omnibus. Amen.

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 888. saec. 14/15. A. — Antiph. ms. Martialense saec. 14. Cod. Parisin. 916. add. saec. 15. B. — 1. probatur B. — 2. paratur B. — 6. petit B.

118. De beata Maria V.

- | | |
|---|--|
| 1. O regina reginarum,
Iubar caeli mundo carum,
Dei natum pariens,
Prope sis, ut beatarum
Per te laetus epularum
Gaudium sim hauriens. | 4. Hostem sternis humanarum
Pariter creaturarum
Vita mortem auferens,
Pia tu desolatarum
Mentium universarum
Solatrix sis eminens. |
| 2. Per te rasit vetustarum
Iura Deus legum harum
Dura cuncta molliens,
Imperatrix veniarum,
Da foeda vi lacrimarum
Delens sim et abluens. | 5. Opus matrum ac nuptarum
Iubilando praeamarum
Mitis virgo permanens,
Taetrum chaos tenebrarum
Iubare precum sanctarum
Obstrue me muniens. |
| 3. Laude pollens reginarum
Dominarumque cunctarum
Gloriam es transiens,
Iuvans fac, ut regis clarum
Cernam vultum, ne poenarum
Ardeat vis puniens. | 6. Nutris lacte mamillarum,
Quem nec caeli nec terrarum
Capiat vis fugiens,
Ergo me, flos feminarum,
Iunge illi, ne vel parum
Laedat leo rugiens. |

7. Mediatrix animarum
Gerens zelum mundanarum
Christo eras uiens,
Aestum virtutum primarum
Pie mihi redona, rum-
pens scelus impediens.
8. Murus es contra ferarum
Dicta ictus bellicarum,
Tuos semper protegens,
Iuva, decus puellarum,
Ne ad ima me fossarum
Serpens trahat saeviens.
9. Evae matris tu vincla rum-
pis, dum proba feminarum
Despicis parturiens,
Da, ne pars fiam praedarum,
Quas attraxit sirenarum
Cantilena tinniens.
10. Regem regis hunc tuarum
Ubertate gratiarum,
Qui vana est corrigens
Et me caput plurimarum
Urbium, parochiarum
Regem sanctum faciens.
11. Te laudat hierarchiarum
Coetus, ut comes earum
Sim, tu fac compatiens,
Abice ab hoc saevarum
Templo morsus bestiarum,
Et regat vir oriens.
Mibi da, ut hunc praeclarum
Die zeli nec amarum
Videam et moriens.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375 — 1, 1 Ave, virgo reginarum; da fast alle Lieder-Anfänge in dieser Hs. verändert sind, und hier das nichtsbedeutende virgo reginarum eine solche Änderung anzeigt, ist wie oben der mutmaßliche Anfang hergestellt.

119. De beata Maria V.

1. O regina virginum,
Labe carens criminum,
Domina caelorum,
Salve, lumen luminum,
Gignens numen numinum
Deumque deorum;
Sicut sine seminum
Iactu tellus germinum
Parens est, flos florum,
Sic naturam hominum
Vincens paris Dominum
Praeter viri thorum.
2. Prima mater flentium,
Eva mortis taedium
Posteris legavit,
Sed Maria gaudium
Et vitae remedium
Cunctis reportavit;
- Salutis excidium,
Mortis stillicidium
Serpens propinavit,
Evae dans consilium,
Quod Mariae studium
Prudenter calcavit.
3. Iahel fortitudine,
Rachel pulchritudine,
Fructu gaudet Lia,
Debora regimine,
Noëmi cognomine,
Alda prophetia;
Te illustres dominae,
Te insignes feminae
Figurant, Maria,
In caelesti agmine
Summo fulgens ordine
Caeli hierarchia.

4. Sara parit vetula
Filiū anicula,
Risus suscitatur,
Deum profert parvula
Etenim invencula,
Mundus collaetatur;
A Rebecca sedula
Sub hoedi pellicula
Iacob palliatur,
Deus in puellula,
Scirpea fiscellula
Moyses celatur.
5. Rachel telam texuit,
De qua Ioseph induit
Tunicam talarem,
Quam fratrum, quos habuit,
Patri fraus exhibuit
Ut occisi parem;

- Sic Maria praebuit
Carnem, in qua latuit
Deus, puellarem,
Ex qua mori statuit,
Qui mori non potuit,
O rem singularem.
6. Ergo, mater gratiae,
Fons misericordiae,
Dulcis spes reorum,
Laxa venas veniae,
Viscera clementiae,
Memor filiorum,
Iure matris regiae
Iube regem gloriae,
Ne memor malorum
Nos damnet, sed curiae
Post finem miseriae
Iungat beatorum.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15.

120. De beata Maria V.

O rosa virginei decoris splendorque polorum,
Sponsa parensque Dei, pro culpis posce reorum,
Forma pudicitiae, Moysis rubus, aula sophiae,
Respice nos clemens, rege mores noxia demens,
Porta poli, regina soli, miseris miserere,
Dele crimina dans munimina nosque tuere.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 521.

121. De beata Maria V.

O templum Christi, me protege a nece tristi,
Quae destruxisti mortem vitamque dedisti.
O flos de spinis, a daemonis eripe minis
Et, quos delinis, a cunctis tolle ruinis.
O dulcis vita, mundum tua gratia dita,
Vita finita duc me ad regna cupita.

Cod. S. Floriani. XI 196. saec. 16.

122. De beata Maria V.

1. O triclinium nobile
Trinitatis sanctissimae,
Era caelestis patriae,
Nos exsules consolare.
2. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Semper ab hoste protege
Et in morte nos suscipe.

3. Ut sic nos tui servuli,
Quamvis simus multum rei,
Propter te fiamus salvi,
Propter quos es mater Dei.
4. Quia Deus omnipotens
Factus homo oboediens
Pro nobis fuso sanguine
Plexus est crudeli morte.
5. Quare in omnibus suum
Agamus beneplacitum,
Ne frustretur eius mortis
Efficacia in nobis.

Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. A. — Orat ms. Tegurinum. saec. 15. Clm. Monacen. 20124. B.

123. De beata Maria V.

- O veneranda Dei mater benedictaque virgo,
Salve millesies, pulcherrima nympha Maria,
Te laudo semper, te glorifico, benedico;
Ego non sum dignus sed me dignifica, digna.
5. O dulcissima mater et optima virgula Iesse,
Tu Davidis funda, rosa, vellus Gedeonis,
Inspice me, tunc noscam te, matrona beata,
Diligo te, non spernas me, fateor male facta.
Vae mihi, si spernis peccatorem, pia mater,
10. En, in te credo, contritum corde tuere.
Te scio tam mitem, nullum spernis miserando,
Offendi natum, iuste damnatus ut essem,
Tu nisi pro servo rogitares, virgo benigna.
Grates aeternas tibi reddo, tis quoque nato,
15. Nam bona multa facis mihi, fecisti faciesque.
Me tibi do totum, quidquid vis, da, pia, dulcis,
Te venerans, [tuum] natum quoque, sic ero salvus.
Virtutesque tuas mihi posco, dirige mores,
Vitam sanctifica, me vivifica, mala pelle.
20. Spernere da vitia, veracem da mihi linguam,
Ut semper cresciam, non decrescam, rege vitam.
Iam tibi commendo, sponsa Christi, simul omnes
Viventes iustos simul iniustosque sepultos.
O pia, dignare pro cunctis efflagitare,
25. Cunctorum mater fidorum sis et amatrix.
Vellem, quod cuncti salvarentur prece matris,
Ut omnes Dominum laudare polo mereamur,
Qui tam magna dedit, quia plasmavitque redemit.
Gaude semper, ave, fiat mihi, quod rogitavi.
30. Ista pater praestet natus, sacrum quoque flamen,
Trinus et unus, huic laus sit, gloria, decus.

Orat. ms. Alberti VI. Archiducis Austriae. Cod. Palat. Vindobonen. 1846. —
4 quam digna. — 7 matrona nrōna. — 15 multa bona facis mihi quoque
fecisti faciesque. — Nach 31 per infinita saecula saeculorum. Amen.

124. De beata Maria V.

- O virgo, splendor gloriae,
Sanctificata spiritu,
In caverna maceriae
Columba plena gemitu,
5. Nobis Aegypti exitu
Occurre, plena gratia,
Et malignae familiae
Defende nos a fremitu,
In iustorum exercitu
10. Dulci fruamur requie.
Gratiarum monilibus
Ornaris Christi gratia,
Pretiosis lapidibus
Virtutum fulgens gratia,
Iam lucis orto sidere
30. Et digneris occurrere
Nobis in die funeris.

Orat. ms. Thosanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948.

125. De beata Maria V.

1. O virtutum speculum,
Regina caelorum,
Christi receptaculum,
Salus anxiorum,
Tutum propugnaculum,
Sanatrix languidorum,
Audi conquerentium
Preces famulorum.
2. Et pro nobis miseris
Denm deprecare,
Nam, quidquid volueris,
Vales impetrare,
Summa nos necessitas
Cogit te rogare,
Quos in fluctu positos
Saevum pulsat mare.
3. Imperatrix omnium,
Doce, quid agamus,
Qui sub gravi criminum
Mole desudamus,
Nobis semper praevium
Esto, ne cadamus
Et declina devium,
Sic nunquam erramus.
4. Eia, mitis et benigna,
Nostri miserere,
Omni laude prorsus digna,
Si vis, potes vere,
Reparatrix et salvatrix
Desperantis animae,
Irroratrix et largitrix
Spiritalis gratiae.
5. Nam requiro, quod suspiro,
Mea sana vulnera
Et da menti te poscenti
Gratiarum munera,
Ut sim castus et modestus,
Dulcis, fortis, sobrius,
Pius, rectus, circumspectus,
Simulatus nescius.
6. Timoratus et ornatus
Sacris aedificiis,
Eruditus et munitus
Divinis eloquiis,
Constans, gravis et suavis,
Benignus, amabilis,
Simplex, purus et maturus,
Patiens et humilis.

7. Corde prudens, ore studens
Veritatem dicere,
Malum nolens, Deum colens
Pio semper opere.

Orat. ms. Carthus. Hildesheimen. saec. 15. Cod. Iosephini Hildesheimen. 3 (6).

126. De beata Maria V.

1. Pater ymon, a quo mundus
lege firma regitur,
A quo certa ratione
benigne disponitur,
Parce plebi, quae a Christo
christiana dicitur.
2. Adonai, ab inferni
defende periculo,
Quos dilecti sacravisti
filii vocabulo,
Quos eiusdem redemisti
salubri patibulo.
3. Fili Dei, Iesu Christe,
dominator domine,
Qui pro mundi medicina
natus es de virgine,
Placa patri nos, quos tuo
redemisti sanguine.
4. Athanatos mediator
Dei atque hominum,
Firma pactum pacis huius
inter nos et Dominum,
Ne privemur regno Dei
pro commisso criminum.
5. Qui procedis ab utroque,
paraclite spiritus,
Cuius ignis inflammavit
fideles divinitus,
Hoc eodem nostras sordes
igne crema stirpitis.
6. Hoc eodem mentis nostrae
oculos illumina,
Hoc eodem sensus nostros
scabrosos examina,
Hoc eodem veteriosa
nostra dele crimina.
7. Trinus Deus in personis,
unus in substantia,
Culpas nostras et reatus
plena dele venia
Et sic mundos a peccatis
reduc ad caelestia.
8. Ave, virgo Dei mater,
vera spes fidelium,
Porta caeli, stella maris,
recti cursus bravium,
Summa legis, forma pacis,
salutis exordium.
9. Ave, virgo, ave, feta,
ave, plena gratia,
Ave, sponsa, ave mater,
ave, Dei filia,
Quam diversa facis unum,
o omnipotentia!
10. Fons signatus, sacramenti
summi conceptaculum,
Scala Iacob, domus David,
Salomonis ferculum,
A leonis ore salva
christianum populum.
11. Theotocos, virga Iesse,
oliva fructifera,
Templum Dei, arca Noe,
columba pacifera,
Ab inferni nos Charybdi
in aeternum libera.
12. Turris, a quo pendet omnis
armatura fortium,
Rosa florens, sacra vitis,
lilium convallium,
Medicina peccatorum,
virtutis donarium.

13. Uva dulcis, flos suavis,
nardus odorifera,
Virgo semper gloriosa,
sublimis puerpera,
Praebe nobis adoptivis
pietatis ubera.
14. Orientis porta clausa,
quam vidit Ezechiel,
Mensa regis, ad quam dapes
tulit ipse Gabriel,
Quarum opem in leonum
lacu sensit Daniel.
15. Tu sigillum libri vitae
solidum in saecula,
Cuius potest solus agnus
solvere signacula,
In hoc nostra precum stilo
conscribe vocabula.
16. Tuae, virgo, sanctitatis
luce nos irradiat
Et sic tua pia prece
Deo reconcilia,
Ut per mortem gloriemur
in caelesti patria.
17. Ad haec omnes potestates
virtutum caelestium,
Ad hoc, omnes sancti, vestrum
petimus auxilium,
Ut pars nostra sit vobiscum
in terra viventium.
18. Miserere nostri, Deus,
in personis trinitas,
Miserere, miserere
nostri, simplex unitas,
Te spiritus omnis laudet,
sempiterna deitas.

Clm. Monacen. (ol. Francisc. Monac.) 9084. saec. 15.

127. De beata Maria V.

- Pulchra Maria, serena Maria, benigna Maria,
Dulcis alumna, superna columna, decusque perenne,
Tela maligna repelle, benigna, metumque gehennae,
Nostra mamilla Deique papilla, nostri miserere.
5. Quae fugienda mihi que cavenda, diu tenere
Dira cupido, caeca libido, regnas ubique,
Quisque malorum quemque bonorum tractat undique.
Casta virago, sancta propago, corripe natos,
Aula pudoris, mater honoris, protege sanos.
10. Lux orborum, dux claudorum, dirige iustos,
Os mutorum, spes cunctorum, sis mihi custos.
Sis dilectrix, sis protectrix, sis mihi mater.
Pulcher Iesus, dulcis Iesus, sis mihi frater.
Pulchra puella, venusta puella, puella colenda,
15. Virgo iucunda Deoque fecunda nimisque stupenda,
Fac me fortem vincere mortem spiritualem,
Tolle timorem, pelle dolorem perpetualem.

Cod. Parisien. 3639. saec. 15/16.

128. De beata Maria V.

1. Pulchra totaque amica
Regis angelorum,
Virgo pulchra et pudica,
Claritas polorum.
2. Intus pulchra, pulchra foris
Vere comprobabis,
Veneranda cunctis horis
Mater expers maris.

- | | |
|---|--|
| <p>3. Intus pulchrioribus
Ornaris virtutibus
Et decentioribus
Foris polles moribus.</p> <p>4. A verticis caesarie
Usque imum plantae
Tu es sine carie
Deo te servante.</p> <p>5. Nulla virtus est, quae posset
Cor tuum transscendere,
Immo cunctas tibi nosti
Virtutes attrahere,</p> <p>6. Quibus Deo placuisti
Et choris caelestibus,
Quibus mundo profuisti
Perplexo maeroribus.</p> <p>7. Evae prolem denigratam
Peccati fuligine
Caeli regi reddis gratam
Tua pulchritudine.</p> <p>8. Summa virtus te virtutem
In terris constituit,
Tibi iungi et te fungi
Cui summe placuit.</p> <p>9. Unde virtus de supernis
Te virtutem adiit,
Ut humanum genus sanum
Fieret, quod periit.</p> <p>10. Iunctus factor est facturae
Iunctus Deus homini,
Venerandus omni iure
Iunctus partus virgini.</p> <p>11. Iuncta virtus est virtuti,
Decor pulchritudini,
Iuncta salus est saluti
Et dulcor dulcedini.</p> <p>12. Deus hominem creavit
Ad suam imaginem,
Ad cuius in te formavit
Se similitudinem.</p> | <p>13. Tu es paradiso
Tanto dignior,
Quanto tuus fructus
Est utilior.</p> <p>14. O quam pulchra tu fuisti,
Cum sit factus vultus Christi
Tibi matri similis,
Cui tu es voluntate,
Caritate, pietate
Facta non dissimilis.</p> <p>15. Si te Deus non vidisset
Creaturam optimam,
In matrem non elegisset
Te sibi carissimam.</p> <p>16. Ergo, virgo pulchra tota,
Nos viles non despice,
Sed a quavis mendae nota
Nos mundari perface.</p> <p>17. Fac ut tuo placeamus
Praedilecto filio
Et felices transeamus
A mortis exsilio.</p> <p>18. Solis, lunae vel stellarum
Splendor parum cernitur
Sive virtus planetarum,
Plene dum attenditur,</p> <p>19. Quanta dignae matris Christi
Fulget virtuositas,
Quam prae cunctis Dei patris
Illustravit claritas.</p> <p>20. Crystallinum vel stellatum
Caelum vel empyreum
Caelum Deo non est gratum
Magis quam hospitium</p> <p>21. Ventris casti, quo celasti
Iesum Dei filium;
Hunc in mundo, virgo pia,
Nobis fac propitium.</p> |
|---|--|

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1, 1 Vale tota quae amica. — 2, 4 Mater Dei expers. — 4, 1 casarienses. — 4, 2 Usque fehlt. — 5, 3 cunctis. — Nach Str. 5 folgt noch: Ergo cunctis es facturis venustior. — 15, 4 Te fehlt. — Nach 21, 4 folgt nach: Nunc et omni hora.

129. De beata Maria V.

1. Quid vigoris, quid amoris,
Quid affectus, quid dulcoris
Habet nomen virginis,
Est expertus totus mundus,
Scit peccator et immundus,
Quae spes huius nominis.
2. Dicant illi, qui damnati,
Sed ad vitam revocati
Sunt Mariae precibus,
Dicat ille desperatus
Vicedomus, sed salvatus
De inferni faucibus.
3. Dicant omnes tribulati
Et peccatis onerati,
Ubi sit refugium,
Ad petendum, ad habendum
Certe, tute recurrendum
Ad Maria gremium.
4. Ad hanc currunt omnes rei,
Ibi annum iubilaei
Habet nostra servitus,
Ipsa lima peccatorum,
Spes dolorum, scala morum,
Via scalae caelitus.
5. Quidquid est in creaturis
Bonis, castis, mundis, puris,
Nomen parat virginis,
Quodque ita nominatur,
Per effectum comprobatur,
Cum rem praebet nominis.
6. Ipsa fructus, ferax tellus,
Irrigatum rore vellus,
Ipsa sicca area,
Ipsa domus, templum, thronus,
Portus, porta, portans onus,
Granum sine palea.
7. Botrus Cypri, palmes, palma,
Cedrus alta, vitis alma,
Cupressus de Libano,
Terra, mare, aer, ignis
Portans, vehens, spirans ignis
In amoris clibano.
8. Tuber rubi, rubens rosa,
Violarum gratiosa,
Acanthus et liliium,
Tu murtetum, olivetum,
Tu lauretum et rosetum,
Flos campi convallium.
9. Nardus, murra, thus, pigmen-
tum,
Cinnamomum, calamentum,
Crocus, muscus, fistula,
Storax, stacte et amomum,
Nux, resina, replens domum
Aromatum cellula.
10. Mel dulcoris, flos odoris,
Fons stuporis, pons laboris,
Incorrupta balsamus,
Arca, liber, testamentum,
Virga, manna, condimentum,
Castitatis thalamus.
11. Sponsa, coniunx coniugata,
Mater patris, nati nata,
Virgo, decus virginum,
Leprosorum medicina,
Menstruatis fons, piscina,
Vita, salus hominum.
12. Ebur, vestis pretiosa,
Inaurata, gloriosa
Tu talaris tunica,
Sceptrum, sertum, diadema,
Tu Samsonis es problema,
Spes post Deum unica.
13. Tu es propositionis
Mensa panum, cum coronis
Propitiatorium,
Urna legis, funda David,
Quo Goliath nostrum stravit,
Tu reclinatorium.
14. Sunamitis Elisaei,
Quae quandoque fecit ei
Mensam et cenaculum,
Hortus clausus, fons signatus,
Austro leni qui perflatus,
Tu Ionae umbraculum.

15. Tu minera claritatis,
Aurum fulvum deitatis,
Tu fenestra vitrea,
Paradisus voluptatis,
Ad exemplar caritatis
Tu vitta coccinea.
16. Murus Sion, turris David,
Urbs, castellum, quod intravit,
Qui patri complacuit,
Tu ancilla, tu puella,
Tu plorantis es fiscella,
In qua vates latuit.
17. Apotheca specierum,
Servans vitae dulce merum
De Engaddi vinea,
Avis rara, cara caris,
Vittae perpendicularis
In directum linea.
18. Lex naturae, limes legis,
Mitigatrix irae regis
Risum Sarae faciens,
Tu es decus puellarum,
Tu securis prophetarum
Lignum, ferrum attrahens.
19. Tu Eliae indumentum,
Aurae lenis blandimentum
Ad cantus adliciens,
Phoenix sola, philomena,
Cuius dulci cantilena
Deitas exsiliens.
20. Cantu cordis emollita,
Tracta venit non invita
In puellae gremium,
De te dictum pratum ridet,
Quis non audit, si non videt,
Hunc concentum avium.
21. Sic perennis ad decorem,
Sic est cantus ad amorem
Horum concinentium;
Turtur, payo, phasianus,
Passer, corvus, pelicanus
Te vel tuum filium
22. Signant gestu vel decore,
More, cantu vel maerore,
Sic et cantus merulae;
Signum huius et columba,
Quae est simplex et palumba,
Sed sunt voces querulae.
23. Virga virens in deserto,
Petra fluens in aperto,
Concha, ros, mons montium,
De quo monte est praecisus
Lapis ille non abscissus
Complectentum manibus.
24. Lapis iste lapis mirus,
Plus vigoris quam saphyrus
Habet et topazius,
Cum smaragdo amethysti,
Cum beryllo sunt et isti
Onyx et ligurius.
25. Onychinus et iacynthus,
Chrysoprassus auro tinctus,
Sardius cum iaspide,
Chrysolithus et sardonix
Cum achate, chalcedonis
Cum rubino lapide.
26. Omnes isti in decore,
Vel virtute vel calore
Vel valoris pretio,
Idem est de adamante,
De magnete, diamante
Et de garamantio.
27. Ad Mariae sunt honorem,
Ad ornatum vel decorem
In proprietatibus,
Ipsa enim est regina,
Habens haec sub disciplina
In varietatibus.
28. Tu lux lunae, pansilenos
Habens dies, menses plenos,
Tu aurora rutilans,
Tu es dies noctem pellens,
Tu sol stella es praecellens
Tenebras enubilans.

29. Tu regina es caelorum,
Decus, honor, spes sanctorum,
Angelorum domina,
Agni sponsa, mater Dei,
Omnis laus debetur ei
Per haec multa nomina.
30. Quodque plura sunt quam cen-
tum,
Vult utrumque testamentum
Pari concordantia,
Sed sint omnes his intenti
Et ad praesens sint contenti
Brevitatis gratia.
31. Fecit ergo duo Deus,
Ut salvetur homo reus,
Quae ponit versiculus,
David intra scripta sua
Ita dicens: virga tua
Atque tuus baculus
32. Ipsa me sunt consolata,
Per haec duo est ablata
Omnis desperatio;
Nam per crucem et Mariam
Istam dulcem, illam piam
Datur liberatio.
33. Nam in cruce gloriari
Nos oportet et salvari,
Ubi est redemptio,
Ibi habes, unde plores,
Ibi forma, per quam rores
In mortis supplicio.
34. Hoc est lignum hinc educens
Et ad caelum introducens
De mundi diluvio,
Hinc recurras ad Mariam
Dulcem illam, dulcem viam
De maris naufragio.
35. Ipsam isti interpellant,
Peccatores hanc appellant
Timore iustitiae,
Ipsa audit appellantes
Et defendit convolantes
Ad tribunal gratiae.
36. Curre ergo ad hanc duces
Ad Mariam et ad crucem,
Utrobique sanitas,
Hic quaerenti invenire
Et pulsanti aperire
Datur, quidquid flagitas.
37. Nemo posset explicare,
Quam sit novum salutare
Mater Christi, Maria,
Nam in omni fato tristi
Invocata matre Christi
Curritur per maria.
38. Ipsam ergo venerari,
Ipsam decet amplexari
Corde, ore, opere,
Ipsa sibi famulantes
Et adfictos conclamantes
Videt, audit prope.
39. O si Adam invenisset
Et post culpam confugisset
Sub crucis auxilio,
O si Eva illud Ave
Repperisset, per quod a vae
Facta est salvatio.
40. Si vertisset suum nomen,
Habuisset bonum omen
Nominis conversio,
Quod fuisset emundata
Et per Ave reparata
Hominis transgressio.
41. Cain ille desperatus
Non fuisset vulneratus
Sub tali latibulo,
Immo Iudas liberatus,
Si adisset pium latus
Sub crucis umbraculo.
42. Iuxta crucem [stat Maria],
Ibi Rachel, ibi Lia,
Ibi vita gemina,
Crucis labor est activa,
Sed in spe contemplativa
Dulciora germina.

43. Hoc est dulce, hoc amarum,
Hoc est carum, illud rarum,
Sed oportet hominem
Ad hoc dulce pervenire
Et medullam invenire
Per amaritudinem.
44. Prius Lia maritali,
Prius Rachel copulari
Debet in coniugium,
Per ascensum purpuratum
Est eundum inauratum
Ad reclinatorium.
45. Duplex ergo medicina
Te attollit a sentina,
Si quando peccaveris,
Et tu curre utrobique,
Praesens enim est ubique,
Quando invocaveris.
46. Dic, quot credis liberatos
In aeternum condemnatos
Per Mariae meritum,
Et per crucem quot salvantur,
Qui sepulcra venerantur
Christi more debito!
47. Ecce, vides, totus mundus,
Sanctus mundus et immundus
Cuiuscunque ordinis
Utriusque ad honorem
Attenduntur et amorem
Crucis atque virginis.
48. Crux ostendit, immo Christus,
Qui in cruce fuit fixus,
Patri rivum sanguinis,
Mater pectus, lac, mamillas
Tamquam nato offert illas,
Haec sunt dona virginis.
49. Audi, benignissime pater peccatores,
Per dilectum filium fac nos meliores,
Da nobis paraclitum corrigentem mores,
O virgo dulcissima, nobis hoc implores.

Cod. Matriten. Bb 150. saec. 14. (Daraus in Boletin de la real academia de la historia VI, 396 sqq.) — 9, 4 stactem. — 14, 2 ferit ei. — 24, 6 lignius. — 41, 5 Sed adisset. — 47, 5 ad honorem. — Aufschrift: „Incipit XXIII oratio, incipiens per litteram Z.“ Str. 1 geht nämlich folgenden voraus:

Zelatrix zelantium aeterni luminis, amatoris tutum refugium, inhaerentium Christo tabernaculum et reclinatorium Iesu Christi et tutum refrigerium innocentium, Maria, mater alma et fecunda virgo, mater et incorrupta, exaudi me miserum clamantem ad te hodie in meis tribulationibus. — Verfasser ist Gil de Zamora. Vgl. das zum Liede Ymago, imitago Bemerkte.

130. De beata Maria V.

1. Rex Christe elementissime,
Tu corda nostra posside,
Ut tibi laudes debitas
Reddamus omni tempore.
2. Memento, salutis auctor,
Quod nostri quondam corporis
Ex illibata virgine
Nascendo formam sumpseris.
3. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tibi devotos protege
Mores et vitam corrige.
4. Nos peccatores adiuva
Prece tua continua,
Ut, quidquid mali fecimus,
Tuus remittat filius.
5. Maria, mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe.
6. Maria, mater Domini,
Sacrarium paracliti,
Virgo, regina virginum,
Pro nobis ora Dominum.

- | | |
|--|--|
| <p>7. Maria, mater Domini,
Aeterni patris filii,
Fer opem nobis omnibus
Ad te confugientibus.</p> | <p>8. Per tuum, virgo, filium,
Per patrem et paraclitum
Assis, parens, ad obitum
Nostrumque muni exitum.</p> |
| <p>9. Gloria tibi, Domine,
Qui natus es de virgine,
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula.</p> | |

Scala caeli saec. 14. ex. Cod. Pragen. XIII E 3. A. — Orat. ms. Lehni-
nense anni 1518. Cod. Berolinen. VI^o 29. B. — 3, 1 Ave mater gratiae
A. — 3, 3 sq. Tu nos ab hoste protege Et hora mortis suscipe B. — Str. 4
und 5 lauten in B:

- | | |
|--|---|
| <p>4. Mater misericordiae,
Tibi devotos protege,
Nos peccatores adiuva,
Preces clemens continua.</p> | <p>5. Ut, quidquid mali fecimus,
Tuus remittat filius
Et purget nos ab omnibus
Vitiis sordibus.</p> |
|--|---|

6, 1 Ave mater Domini B. — Str. 7 fehlt B. — 8, 1 mater filium B. —
8, 3 Assis nobis ad B. — 8, 4 muni spiritum B. —

Dieses Lied ist die Erweiterung eines kürzeren, das in den Tagzeiten
der sel. Jungfrau vorkommt. In dieser Erweiterung kann der Hymnus nicht
den liturgischen zugezählt werden. Er findet sich meist als Proömium bei
verschiedenen Psalterien verwendet, so in A zum Psalter Ave virgo lignum
vitae, in B zum Psalter Ave virgo lignum mite. Er gehört aber ur-
sprünglich keinem dieser Psalterien an.

131. De beata Maria V.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Salve, cella castitatis,
Salve, plena gratia,
Salve, templum deitatis,
Salve, solis regula.</p> | <p>6. Tu flos florum, fons hortorum,
Lavans sordes criminum,
Pax et honor confessorum,
Pulchritudo virginum.</p> |
| <p>2. Salve, portus naufragantis,
Salve, Iesse virgula,
Salve, splendor bonitatis,
Paradisi ianua.</p> | <p>7. Tu sis servis adiuvaamen,
Nutrix in periculis,
Tu es lapsis relevamen,
Medicamen languidis.</p> |
| <p>3. Salve, fons sinceritatis,
Lux lucens in tenebris,
Salve, stella claritatis,
Luna sine nebulis.</p> | <p>8. Maestis dulce confortamen,
Pia mater orphanis,
Mater Christi, virgo tamen,
Nulla tibi similis.</p> |
| <p>4. Salve, decus sanctitatis,
Virgo venerabilis,
Salve, nympa venustatis,
Honor nostri generis.</p> | <p>9. Salutata sic fuisti:
Ave, plena gratia;
Verbo carnem concepisti,
Virgo viri nescia.</p> |
| <p>5. Salve, lampas, lux caelorum,
Laus et decus martyrum,
Thesaurus apostolorum,
Spes communis omnium.</p> | <p>10. Christum Iesum genuisti,
Qui salvavit omnia,
Et post partum permansisti
Virgo semper integra.</p> |

Salve dicant omnia.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Script. Eccl. 375.

132. De beata Maria V.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Salve, festum cordis mei,
O Maria, nata Dei,
Sponsa, mater, diadema,
Cluis tu sanctorum thema.</p> <p>2. Vitae flosculum quae paris,
* * * * *
Visus decor, vox dulcoris,
Suavis odor amoris.</p> <p>3. Tu thesaurus trinitatis
Et amplexus lenitatis,
* * * * *
Mens ardet iam ad osculum.</p> | <p>4. Labra pando, sed polluta,
Quod offendit in me, muta,
Et utraque ex mamilla
Pasce Dei me ancilla.</p> <p>5. Tu consignans me defende,
Et, quam dulcis sis, ostende,
Ut adiutrix in agone
Praemians sis arrabone.</p> <p>6. Ave clamo angelicum,
Da Christum, panem caelicum,
Trinitatis triclinium
Nostrumque tu refugium.</p> |
|---|---|

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1, 4 Eius tu sanctorum. — 4, 4 Pasce Dei mater alma. — 6, 2 steht nach 4, 4. — 6, 3 Ave trinitatis. — 6, 4 o tu refugium.

133. De beata Maria V.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Salve, gaude, mater regis,
Cum quo regnas, cum quo regis
Et disponis omnia,
Nos in via ita rege,
Ut regnare cum hoc rege
Possimus iu patria.</p> <p>2. In qua nullus regnat foedus,
Nec cum foedo inest foedus,
Nec regnat malitia,
Illie solum regnant mundi
Cum hoc, qui est salus mundi,
Dei sapientia.</p> | <p>3. Super omnes mundos munda,
Mater regnans, tu nos munda
Ab omni spurcitia
Et mundatos nos a menda
Peccatorum tu commenda
Gubernanti omnia.</p> <p>4. Ac post mortem nos ad loca
Caeli trabe nosque loca
Cum sanctis in gloria,
Qua det frui Dei natus
Nobis, Christus ex te natus
Sumpta carne propria.</p> |
|--|---|

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

134. De beata Maria V.

- | | |
|---|---|
| <p>Salve, era, mater festi,
Naeva rugaque molesti
Insuper et omnis maesti
Expers et omnis incesti,</p> <p>5. Fons salvaminis scelesti,
Auro cui plus est honesti,
Gemma, cuncta quae deplesti
Tuo valore caelesti,
Me mis naevi gravant gesti,</p> <p>10. Mihi more peragresti,</p> | <p>Me dum mores essent quaesti,
Esset angi tempus resti
Et me subdi cui pesti
Poenaeque omnis infesti</p> <p>15. Ac non pectoris modesti
Poscere favorem cesti,
Aspirando quae caelesti
Summi patris votum plesti,
Quo mis corde fracti — —,</p> <p>20. Quod sic sine mundi festi</p> |
|---|---|

- | | |
|---|---|
| <p>Vi tis deessem stygis pesti.
 Tu quam gratia deplesti,
 Deus, tis in matrem vesti,
 Ortu me tunc brumae vesti</p> <p>25. Nec da eius ut quod maesti
 Artus terrae fiant aesti.
 Per te caeli mens sit festi
 Huius post schisma foresti,</p> | <p>Hinc culpis semper infesti</p> <p>30. Bino socio congesti,
 Quis mens fisa tardi, flesti,
 Cum a Iesu te delesti,
 Quem fricare manu suesti,
 Unde non iniuste clesti</p> <p>35. Vera mater omnis festi.</p> |
|---|---|

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 24. Orti. — 25. dat. — Am Schluß: *Explicit rigmus periodialis.*

135. De beata Maria V.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Salve, mater illibata,
 Ave millies optata,
 Summo Deo desponsata
 Virgo, mater, filia;
 Salve, salve, virgo clara,
 Iesu Christo multum cara,
 Super omnes sublimata
 In caelesti patria.</p> | <p>2. Super omnes te adoro,
 Super omnes te imploro
 Genu flectens tota mente,
 Me benigne suscipe.
 Ave, sancta, cherubina,
 Mundi princeps et regina,
 Quae fuisti sola digna
 Ferre saeculi pretium.</p> |
|--|---|
3. Tu es virgo ante partum
 Et in partu et post partum,
 Semper casta, semper pura,
 Semper Deo placitura.
 Ergo audi, o Maria,
 Aurem tuam huc inclina,
 Natum tuum deprecare,
 Ut dignetur nobis dare
 Paradisi gaudia.

Offic. BMV. imp. in Castro Lauro 1503.

136. Iubilus Aureus BMV.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Salve, mater
 misericordiae,
 Mater spei
 et mater veniae,
 Mater Dei
 et mater gratiae,
 Mater, inquam,
 totius gloriae.</p> <p>2. Salve, salus
 humani generis,
 Salve, virgo,
 dignior ceteris,</p> | <p>Quae virgines
 omnes transgrederis,
 Et altius
 sedes in superis.</p> <p>3. Salve, sancta
 sanctorum omnium,
 Laus et honor,
 decus fidelium,
 Aula Dei,
 domus palatium,
 Deitatis
 reclinatorium.</p> |
|--|--|

4. Te creavit
 pater ingenuus,
 Obumbravit
 te unigenitus,
 Fecundavit
 te sanctus spiritus,
 Dum es facta
 tota divinitus.
5. Te creavit
 Deus mirabilem,
 Te respexit
 ancillam humilem,
 Te quaesivit
 sponsam amabilem,
 Tibi nunquam
 fecit consimilem.
6. Te beatam
 laudare cupiunt
 Omnes sancti,
 sed non sufficiunt,
 Nam tot laudes
 tibi conveniunt,
 Quod laudantes
 omnes deficiunt.
7. Ex quo digna
 Deum es parere,
 Nemo digne
 potest exprimere
 Laudes tuas
 nec satis dicere,
 Quantum gaudes
 divino munere.
8. Quia vere
 caput es virginum
 Et laus summa
 non habens terminum,
 Angelorum
 laudes et hominum
 Promereris
 ipsa post Dominum.
9. Beata es,
 virgo puerpera,
 Nam, qui sedet
 in patris dextera
 Caelum regens,
 terram et aethera,
 Intra tua
 se clausit viscera.
10. Imperatrix,
 cuius imperio
 Tota gaudet
 caelestis contio,
 Tanta laus est
 tibi in filio,
 Quod humana
 non capit ratio.
11. Pia mater
 et virgo nobilis,
 Benedicta
 et venerabilis,
 Universis
 incomparabilis,
 Tibi nunquam
 fuit consimilis.
12. O quam pulchra
 puella parvula,
 Quam suavis
 et sine macula,
 Sed quam potens
 regnas in saecula,
 Tua satis
 probant miracula.
13. Tu es, virgo,
 ceteris purior,
 Virginibus
 es gradu dignior,
 Super omnes
 aspectu pulchrior,
 Et in sanctis
 post Deum sanctior.
14. Pia mater,
 per tui gratiam
 Revertitur
 exsul ad patriam,
 Peccatores
 merentur veniam
 Et beati
 possident gloriam.

15. Nomen tuum
daemones cruciat,
Tua virtus
reos remediat,
Tuus odor
sanctos inebriat,
Fructus vero
beatos satiat.
16. Fons hortorum,
aquarum puteus,
Via lucis,
splendor sidereus,
Dei sedes
et thronus aureus,
Te conventus
laudat aethereus.
17. Cella fragrans
morum dulcedine,
Omni carens
amaritudine,
Veri solis
amicta lumine,
Omnes tibi
congaudent feminae.
18. O quam felix,
quae mundo praesides,
Mundum regis
et caelum possides,
Et cum Deo
regina resides,
Hostes nostros
malignos obsides.
19. Tu es clavis
superna reserans,
Nubes solis
ardorem temperans,
Ros fornacis
ignem refrigerans,
Medicina
salutem operans.
20. Tu fuisti
vellus in area,
Arca legis,
turris eburnea,
Tu es nobis
salutis galea,
Granum purum
excussum palea.
21. Tu es virens
oliva fertilis,
Tu columba
simplex et humilis,
Tu columna
fidei stabilis,
Porta Sion
inexpugnabilis.
22. Tu, beata,
fuisti liliū
Inter spinas
et flos convallium,
Tu es portus
praestans suffragium,
Tu es reis
semper remedium.
23. Rubus ardens,
palma iustitiae,
Murra, nardus
summae fragrantiae,
Hortus virens,
flos pudicitiae,
Te honorant
caeli militiae.
24. Ut adfirmat
fidelis populus,
Tu es, mater,
caecorum oculus,
Pes claudorum,
virga et baculus
Omniumque
sanctorum titulus.
25. Fons signatus
distillans oleum
Pietatis
et rorem melleum,
Purga mentem,
munda cor felleum,
Dona nobis
salutis gaudium.

26. *Benedicta*
in mulieribus,
Quae de tuis
castis visceribus
Peperisti
pacem hominibus,
Plena semper
donis caelestibus.
27. *Tu civitas*
superni numinis,
Tu claritas
superni luminis,
Tu dignitas
nostri propaginis,
Et pietas
summae dulcedinis.
28. *Per te mundus*
accepit puerum,
Per quem sordes
lavantur scelerum,
In te sperat
conventus pauperum,
Dona tua
non habent numerum.
29. *Mater digna*
virginis nomine,
Insignita
Dei imagine,
Decorata
similitudine,
Te collaudant
sanctorum animae.
30. *Tu es terra*
dans fructum optimum,
Petra fluens
potum largissimum,
Fons redundans
in flumen maximum,
Vas reservans
manna dulcissimum.
31. *Sol es, virgo,*
ecclipsim nesciens,
Sol in caelis
de terra oriens,
- Sol de caelis*
terram prospiciens,
Sol peccati
nubes demoliens.
32. *Lux serena,*
aurora rutilans,
Peccatorum
tenebras ventilans,
Tibi mundus
exsultat iubilans,
Esto, pia,
super nos vigilans.
33. *Mons sublimis,*
salutis speculum,
Via vitae,
morum spectaculum,
Quae in caelo
regnas in saeculum,
Christianum
defende populum.
34. *Gemma fulgens*
splendore nimio,
Luna lucens
caelesti radio,
Desolatis
tu consolatio,
Tu tentatis
firma protectio.
35. *Tribus Inda*
genus dignissimum,
Tu potens es
apud altissimum,
Nostrum vitae
praepara animum
Et defende
in finem ultimum.
36. *Sola virgo,*
quae cunctas haereses
Interimis
et frangis carceres
Captivorum,
adiuva pauperes
Et fac eos
ad vitam celeres.

37. Sanctitatis
totius femina,
Mundi princeps
et caeli domina,
Servis tuis
relaxa crimina
Et eorum
mentes illumina.
38. Vitis vera,
extende palmitem
Tuum ad nos,
ut eum comitem
Habeamus
vitalaeque limitem
Et postea
in caelis hospitem.
39. Stella maris,
emitte radium,
Placa mare,
aufer naufragium,
Tolle navim
periclitantium,
Esto lassus
in adiutorium.
40. Ex te, virgo,
natus est filius
Iesus Christus,
quo nihil dulcius,
Quem rogamus
omnes attentius,
Ut sit nobis
per te propitius.
41. Vas, excelsi
opus mirabile,
Stella caeli,
signum spectabile,
Per te nobis
fiat possibile,
Quod rogamus,
et impetrabile.
42. Virga fumi,
domus aromatum,
Apotheca
plena charismatum,
Divinorum
magistra dogmatum,
Fac, ut tecum
agamus sabbatum.
43. Vallis vernans
virtutum liliis,
Tota fluens
summis deliciis,
Tuis, sancta
mater, suffragiis
Condescende
nostris miseriis.
44. Lux iucunda,
refove febriles,
Aegros sana,
conforta debiles,
Fac nos mites,
castos et humiles
Et in fide
fortes et stabiles.
45. Advocata
nostra praecipua,
Tua prece
semper assidua,
Quod in nobis
sordet, evacua,
Ad patriam
sis nobis obvia.
46. Virgo mater,
ancilla Domini,
Nos rebelles
tuo regimini
Et subiectos
multo discrimini
Commendamus
tuae dulcedini.
47. Virga Iesse
fecunda, florida,
Lampas caeli
prae cunctis fulgida,
Corda nostra
in bono tepida,
Fac, ut fiant
in bono fervida.

48. Rosa rubens,
quæ semper redoles,
Semper gaudes
et semper condoles,
Precamur, ut
sic nobis adoles,
Pias preces
pro nobis immoles.
49. Sicut patet
omnium oculis,
Totus mundus
subest periculis,
Sed tu, virgo
praeclara titulis,
Libera nos
precibus sedulis.
50. In hac vita
multa pericula
Nobis instant
et multa vincula,
Et idcirco
tu mente sedula
Regnum caeli
pro nobis postula.
51. In hoc mundo
vix bonum facimus
Et a malis
nunquam quiescimus,
Et sic vitam
ac tempus perdimus,
De te tamen
semper confidimus.
52. Mundus plenus
figmentis luteis
Nos diversis
pungit aculeis,
Sed salva nos
ab eius laqueis,
Tu beata,
quæ cunctis subvehis.
53. Heu, in mundo
deficit veritas,
Pax et amor,
sensus et pietas,
Et abundat
fraus et iniquitas,
Sed apud te
est omnis bonitas.
54. Vita praesens
est vapor modicus,
Umbra, ventus,
somnia phantasticus,
Flos, favilla,
decor sophisticus,
Pugna, cursus,
ascensus lubricus.
55. Hoc in mundo
vana sunt omnia
Et saluti
nostrae contraria,
Propterea
tu, plena gratia,
De supernis
mitte remedia.
56. Nos horrentes
amaritudinem
Huius vitae,
carnis putredinem,
Hostis fraudem,
mortis formidinem,
Imploramus
tuam dulcedinem.
57. Ne igitur
haec vita funebris,
Excaecata
peccati tenebris,
Nos corrumpat
carnis illecebris,
Conserva nos,
regina celebris.
58. In hac vita
sic miserabili,
Sic amara,
caduca, labili,
Vita nequam
et plena nihili
Custodi nos
cura pervigili.

59. Heu, nos mundus
vexat continue,
Ab eodem,
mater, nos erue,
Et pro nobis
orans assidue
Vitam nobis
aeternam tribue.
60. Huius mundi
fraus et malitia
Nos compellunt
ire per devia,
Labor, timor,
nefas, miseria,
Nec timemus,
dum tu sis praevia.
61. Nos etiam
servi nequissimi
Hic timemus
ab hoste perimi,
Sed tu, sponsa
regis altissimi,
Non permittas
nos tantum deprimi.
62. In hac vita
omnes communiter
Impugnatur
ab hoste fortiter
Et interdum
vincimur turpiter,
Sed iuva nos
misericorditer.
63. Pia mater,
respice filios
Inter hostes
pugnantes impios,
Irruentes
repelle gladios
Et sanctorum
fac esse socios.
64. Ecce, mater,
hostes tartarei,
Prodeuntes
ab ore putei,
Viam claudunt
regni siderei
Nec permittunt
nos sursum provehi.
65. Virgo dulcis
et summe sapiens,
Pietatis
fons indeficiens,
Servis tuis
esto compatiens,
Quos infestat
hostis percutiens.
66. Tu fuisti
funda cum lapide,
Quae percussit
Goliath valide,
Et nunc, mater,
orando fervide
Hostem fuga
et pacem provide.
67. Preces tuae
nobis subveniant,
Pia mater,
et sic custodiant
Hora mortis,
ut hostes fugiant,
Et nos caeli
cives suscipiant.
68. Nos timentes
hostis insidias,
Hora mortis
magis quam alias,
Supplicamus
nunc, tunc subvenias
Et nos ope
tua custodias.
69. Mentis nostras
peccatis deditas
Multum terret
mortis acerbitas,
Sed tu, mater,
quae caelos habitas,
Fac, ut nobis
detur securitas.

70. Licet nobis
 poena sit vivere,
Multum tamen
 nos facit tremere
Mors, quam nemo
 potest effugere,
Sed tuum est
 nobis consulere.
71. Nos timemus
 horam novissimam,
Horam mortis
 et diem ultimam,
Quia laesam
 habemus animam,
Sed da nobis
 tu spem firmissimam.
72. Auctor vitae
 nos mori noluit,
Sed pro nobis
 mortem sustinuit,
Qui in morte
 pavit et timuit,
Eius timor
 spem nobis tribuit.
73. Viam mortis
 omnes ingredimur
Et post eam
 nunquam revertimur,
Ex quo magis
 timore premimur,
Per te tamen
 in spem erigimur.
74. Nos in mundo
 nascendo viliter
Et vivendo
 miserabiliter
Festinamus
 ad mortem iugiter,
In te tamen
 sperando firmiter.
75. Heu, revera
 viles et miseri,
Qui mox nati
 cogimur conteri,
- Efficimur
 similes pulveri,
Properantes
 ad portas inferi.
76. Sed tu, David
 proles dignissima,
Mulierum
 virgo pulcherrima,
Urbs regalis,
 turris fortissima,
Defende nos
 a morte pessima.
77. Concha plena
 roris dulcedine,
Caelo regnas
 cum summo principe,
Preces nostras
 auribus percipe
Et in fine
 nos tecum recipe.
78. Languentibus
 in purgatorio,
Qui purgantur
 ardore nimio
Et torquentur
 sine remedio,
Subveniat
 tua compassio.
79. O fons patens,
 qui culpas abluis,
Omnes lavas
 et nullum respuis,
Manum tuam
 porrige mortuis,
Qui in poenis
 languent continuis.
80. Ad te, pia,
 suspिरant mortui
Cupientes
 de poenis erui
Et adesce
 tuo conspectui
Et gaudiis
 aeternis perfrui.

81. Clavis David,
 quae caelum aperis,
O Maria,
 succure miseris,
Qui tormentis
 torquentur asperis,
Educ eos
 de domo carceris.
82. Lex iustorum,
 norma credentium,
Vera salus
 in te sperantium,
Pro defunctis
 sit tibi studium
Semper tuum
 orare filium.
83. Benedicta,
 per tua merita
Te rogamus,
 mortuos suscita
Et dimittens
 eorum debita
Ad requiem
 sis eis semita.
84. In tremendo
 Dei iudicio,
Quando fiet
 stricta discussio,
Tunc etiam
 supplica filio,
Ut sit nobis
 cum sanctis portio.
85. Dies illa,
 dies terribilis,
Dies malis
 intolerabilis,
Sed tu, mater,
 sis deprecabilis,
Fac, sit nobis
 iudex placabilis.
86. Illa die
 tantus servabitur
Rigor, quod vix
 iustus salvabitur,
- Nemo reus
 iustificabitur,
Sed singulis
 ius suum dabitur.
87. Nos timemus
 diem iudicii,
Quia male
 de nobis consci,
Sed tu, mater
 summi consilii,
Para nobis
 locum refugii.
88. Tunc iratus
 iudex adveniet,
Singulorum
 causas discutiet
Personamque
 nullam accipiet,
De singulis
 iuste definiet.
89. Horrendum est
 illud iudicium,
In quo nullum
 erit refugium,
Sed quilibet
 poenam et praemium
Recipiet,
 hoc non est dubium.
90. Iustus iudex
 dando sententiam
Non faciet
 iustis iniuriam
Nec iniustus
 faciet gratiam,
Sed tenebit
 strictam iustitiam.
91. Et ideo
 nunc coram iudice
Pro miseris
 te ipsam obice,
Cum filio,
 beata, perface,
Ut nobiscum
 agat pacifice.

92. Nunc igitur,
mater, adcelera,
Pietatis
ostende viscera,
Nato pectus
offer et ubera,
Et eidem
pro nobis impera.
93. Summi regis
mater et filia,
Cui nullus
par est in gloria,
Tua, mater,
dulcis clementia
Sit tunc et nunc
nobis propitia.
94. Pia mater,
quae cunctos respicis,
Cunctos iuvas
et nullum despicias,
Erue nos
de manu iudicis
Et iunge nos
choris angelicis.
95. Stirps electa,
deiectos erige,
Deviantes
ad viam redige,
Bonos auge
et malos corrige
Ac sic tecum
nos omnes collige.
96. Lux caelestis,
nostra spes unica,
Pietate
tua magnifica,
Dei nutrix,
reos iustificata
Et eos tunc
tecum glorifica.
97. Iesu mater,
summae clementiae,
Summae laudis
et excellentiae,
Sta pro nobis
in caelis hodie,
Ut nos tecum
fruamur requie.
98. Haec itaque
benigne poscimus
Atque ad hoc
suspirat animus,
Ut deleas
mala, quae fecimus,
Et des bona
quae semper cupimus.
99. Tua, virgo,
iucunda facies,
Tua cunctis
miranda species,
Beatorum
est magna requies,
Qua nos tecum,
si placet, saties.
100. Nunc, regina
summi regiminis,
Mediatrix
Dei et hominis,
Quae placare
Deum non desinis,
Esto finis
huius dictaminis.

Cod. Carolsruhan. Augien. 36. saec. 14/15. A. — Orat. ms. Tegurinum anni 1466. Clm. Monacen. 19991. B. — Orat. ms. Caelestinorum saec. 15. Cod. Parisin. 18571. C. — Das Gedicht findet sich des weitern in folgenden Quellen: Sehr erweitert in Orat. ms. Augustanum anni 1469. Clm. Monacen. 3702. (Die Zusätze verraten sich teilweise schon durch das Metrum.) D. —

Auf die Hälfte der Strophen reduziert in Cod. Raigraden. $\frac{D}{K}$ I N 3. saec. 15. E. — Orat. ms. Cluniacense saec. 15. Cod. Parisin. Nouv. acq. 333. F. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20123. G. — Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19636. saec. 15. H. — Cod. Parisin. 3639. saec. 15/16. I. — Horar. ms. Gallicum saec. 15. Cod. Londinen. Burn. 336. K. — Orat. ms. Thosanum saec. 15. Cod. Bruxellen. 4948. L. — Horar. ms. S. Petri de Luxemburgo saec. 15. Cod. Avenionen. 207. M. — Orat. ms. Friburgense saec. 15. Cod. Sangallen. 482. N. — Orat. ms. Altaripense (Hauterive) saec. 15. Cod. Friburgen. L 65. O. — Orat. ms. Eberspergense saec. 15. Clm. Monacen. 6053. P. — Orat. ms. Carth. Erfordien. saec. 15. (Privatbesitz) Q.

Das Ganze, noch erweitert um 21 Str., findet sich auch in Corners Magnum Promptuarium 1645. p. 203 ff., woselbst als Quelle der Hortulus devotionis Hugonis Carthusiensis angegeben wird; 83 Strophen auf vier Lieder verteilt finden sich in dem Offic. B. M. V. sec. usum Romanae Curiae, imp. in Castro Lauro 1503. Die Abweichungen all dieser Quellen unter sich sind so bedeutend, namentlich was Zahl und Stellung der Strophen angeht, daß eine Wiedergabe derselben in diesen Anmerkungen nicht möglich ist. Im folgenden sind nur die Lesarten von ABCQ verzeichnet.

3, 2 sanctarum virginum Q. — 4, 8 tuta divinitus Q. — 5, 8 fecit similem Q. — 7, 1 Ex quo Deum CQ. — 7, 2 digna es parere CQ. — 7, 7 Quanto Q. — 8, 1 Quia tamen BC; Quia tu Q. — 8, 2 virgo es virginum Q. — 8, 3 Summa laudis Q. — 9, 6 terram et cetera CQ. — Str. 9, 10, 11 fehlen B; statt dessen die Strophe:

Benedicta et venerabilis,
Pia, prudens, decora, nobilis,
Universis incomparabilis,
Tibi nunquam fuit consimilis.

10, 3 congaudet Q. — 11, 1 sq. und 3 sq. umgestellt CQ. — 12, 4 quam sine Q. — 12, 6 regnat A. — Str. 14, 15, 16 fehlen Q. — 17, 2 morum fehlt Q. — 17, 5 Vera Q. — 17, 7 sq. Tibi congaudent omnes feminae A. — 18, 2 domina praesidis A. — 18, 8 reprimens occides A.; potenter obsides Q. — 19, 5 Os fehlt Q. — 20, 7 sq. stehen nach 20, 2. Q. — 21, 1 virens fehlt Q. — 21, 7 Et porta Q. — 22, 1 Tu pulchrum Q. — 22, 5 Tu porta Q. — 22, 7 Tu ferens reis Q. — 22, 8 semper fehlt Q. — 23, 4 fulmen fragrantiae A. — 23, 8 caelestes deliciae Q. — 24, 6 vigor et Q. — 25, 2 et stillans A. — 25, 5 sq. Para nobis locum aethereum Q. — 25, 7 sq. Et emunda cor meum felleum Q. — 26, 1 Benedicta tu Q. — 26, 5 sq. und 7 sq. umgestellt A. — 26, 7 sq. Et dotasti donis caelestibus A. — 27, 4 caelestis luminis Q. — 27, 7 Tu es pietas Q. — 28, 5 spectat A. — 28, 6 conventus civium A. — 29, 1 sq. Mater vera et virgo nomine A. — 30, 6 in fehlt Q. — 31, 1 es fehlt Q. — 31, 5 in caelis Q. — 32, 4 tenebras illustrans A. — 32, 5 Cui mundus Q. — 32, 6 supplicans Q. — 32, 7 pie A. — 33, 3 sq. Christianum defende populum A. — 33, 5 sq. Via vitae morum spectaculum A. — 33, 7 sq. Duc nos ad vitae habitaculum A. — 34, 3 Lumen lucens A. — 34, 6 sis consolatio Q. — 34, 7 Et tentatis Q. — 35, 3 Omnipotens apud Q. — 35, 5 sq. Nostra vitae purgans animum A. — 35, 7 Nos dirige A. — 36, 3 Interemis A. — 36, 5 sq. Captivos respice pauperes Q. — 36, 7 sq. Et fac nos ad bonum celeres Q. — 37, 5 tuis fehlt A. — 38, 2 ostende A. — 38, 7 sq. Ut ducamur ad eum hospitem Q. — Str. 39 fehlt Q. — 39, 7 sq. Sis lassis pium adiutorium A. — 41, 4 delectabile A. — 41, 8 sit impetrabile Q. — 42, 2 et domus A. — 43, 6 sanctis suffragiis Q. — 44, 6 et veros humiles Q. — 44, 7 Et fehlt A. — 44, 8 atque A. — 46, 5 Nos rebelles A. — 47, 1 Virga rosa Q. — 48, 3 sq. In aevum gaudens nobis condoles A. — 48, 5 sq. Pias preces pro nobis immoles Q. — 48, 7 sq. Ut fiamus semper incolumes Q. — 50, 3 Nos molestant BQ. — 50, 5 Et ideo A. — 51, 5 sic fehlt AB. —

51, 8 virgo, confidimus Q. — 52, 4 pungunt A. — 52, 6 ab eius luvius Q. — 53, 1 In hoc mundo B; Et in mundo C. — 53, 3 et fehlt A. — 53, 4 et fehlt Q. — 54, 2 amor modicus A. — 55, 1 Et in mundo A; Sed in mundo C. — 55, 5 Et ergo Q. — Str. 57 fehlt Q; steht hinter Str. 60 BC. — 58, 3 Sic amara BC. — 58, 4 caduca labili BC. — 58, 2 sq. fehlen Q. — Nach 58, 8 Ut tecum stemus in loco nobili Q. — 59, 1 Hostis, qui nos B; Et quia nos C; Et quae nos Q. — 59, 3 eadem C; Ab eis Q. — 59, 4 nos mater Q. — 59, 7 Atque vitam A. — 60, 5 Labor, nefas Q. — 60, 6 nefas et A; timor miseria Q. — 61, 3 Nunc timemus Q. — 61, 5 Sed fehlt Q. — 61, 8 nos ab eo deprimi Q. — 62, 5 Interdum et A. — 63, 8 fac nos socios Q. — 64, 7 dimittunt A; permittentes Q. — 65, 6 compatiens Q. — 66, 3 Quae percussit Goliath Q. — 66, 6 oramus Q. — 66, 8 et pete provide Q. — Str. 68 fehlt Q. — Str. 70 fehlt Q. — 71, 6 habemus conscientiam Q. — 72, 3 Et pro nobis Q. — 72, 5 Et in morte Q. 72, 7 sq. Cuius timor nos multum terruit Q. — 73, 1 sq. Via mortis terram ingredimur BQ. — 73, 3 Et postea Q. — 74, 3 sq. = 74, 5 sq. Q. — 74, 5 sq. = 74, 7 sq. Q. — 74, 8 speramus Q; dann: Quod intremus caelum alacriter Q. — 75, 1 Et revera BC. — Str. 75 fehlt Q. — 76, 1 O tu David Q. — 76, 4 omnium pulcherrima Q. — 77, 1 sq. plena fehlt A; roris plena Q. — 77, 3 Caelos rigans Q. — 77, 8 laete suscipe Q. — 79, 2 qui tanta abluis Q. — 79, 3 lavans A; Nullum sitientem Q. — 79, 4 et neminem A; te respici Q. — 79, 6 extende mortuis CQ. — 79, 7 sub poenis Q. — 80, 5 sq. und 7 sq. umgestellt Q. — 81, 3 Nunc beata Q. — 81, 7 Educ nos Q. — 82, 7 sq. Semper orare tuum A; Assidue deprecare filium Q. — 83, 4 visita Q. — 84, 4 astricta ratio Q. — 85, 3 Dies mala A. — 85, 6 semper amabilis Q. — 85, 7 Fac, ut sit A. — 87, 1 sq. Illa die mater iudicii Q. — 87, 5 sq. Da nobis sic iam conteri Q. — 87, 7 sq. Ut tunc fiamus liberi Q. — 88, 2 veniet Q. — 88, 5 Personarumque A; Nullam personarum Q. — 88, 7 Sed singulos Q. — 89, 3 Quando nemini A. — Str. 89, 90, 91 fehlen Q. — 91, 3 Pro peccatis C. — 92, 1 Tunc igitur A; O mater Q. — 92, 2 nunc accelera Q. — 92, 7 sq. Et eundem pro nobis supplica A. — Str. 93 und 94 stehen vor Str. 89 BC. — 94, 3 Cunctos amans A. — 94, 4 et neminem A. — 95, 1 fehlt Q. — 95, 2 elisos erige C. — 95, 4 dirige C. — Nach 95, 6 Imperfecta nostra perfice Q. — 95, 7 sq. Et sic omnes nos tecum Q. — Str. 96 fehlt Q. — 97, 1 sq. summae mater B. — 97, 7 Ut tunc plena Q. — 97, 8 regie A. — 98, 1 Haec utraque A. — 99, 3 cuncta A. — 99, 6 beata requies Q. — 99, 7 sq. Nos tuo nato in caelis saties Q.

Vor dem Liede: Sequitur soliloquium sancti Augustini, editum ab ipso ad laudem et gloriam beatæ Mariæ virginis, genetricis Dei, in salutem animarum A; dann folgt ebenda als Prologus:

Ante thronum trinitatis,
Miserorum miserata,
Sis pro nobis advocata.

Virgo solis amicta pallio,
Cui luna pedibus sternitur,
Duodeno stellarum radio
Caput ornans corona praeditur,
Super cuncta praelata cernitur,
Quae in caelis regina conspicitur.

Cerne virtutum se matrem carne solutum [sic].

In BFP: „Incipit iubilus aureus. Hanc sequentem orationem tam eleganter et pulchre rigmatam condidit Ioseph ab Arimathia, nobilis decurio, ad honorem gloriosissimæ virginis Mariæ, de qua, ut pie creditur, revelatum fuit beato Augustino, quod quicumque eam devote et contrito corde singulis diebus dixerit, quidquid a Deo iuste petierit, impetrabit.“ Der Unsinn ist doch nicht in Tegernsee gewachsen. R bemerkt nämlich: „Hanc salutiferam orationem tam eleganter et pulchre rhythmatam condidit Ioseph ab Ari-

mathia in honore beatissimae virginis Mariae, de qua, ut pie creditur, nuntiatum [fuit] beato Augustino, quod quicumque eam devote singulis diebus dixerit, quidquid a Deo iuste petierit, impetrabit, nec aliquod illa die ei nocebit.“

Auch L versichert: „Oratio Ioseph de Aromathia“ [sic]. Dagegen hält O zu A in der Angabe: „Oratio sancti Augustini.“ E hinwieder: Sequitur oratio beati Bernardi ad honorem beatae Mariae virginis. In I geht der ersten Strophe die folgende voran:

An nos sponsum solum laudabimus
Et te matrem eius silebimus?
Non id decet, sed te cantabimus
Dei matrem, quanto valebimus.

In D findet sich der Schlufs folgendermassen gestaltet:

Nunc, regina summi regiminis,
Mediatrice Dei et hominis,
Quae precare Deum non desinis,
Esto memor tui miseri scriptoris,

O Maria.

O mater piissima ordinis Carmeli,
O aqua dulcissima de fonte Elisaei,
Ad quam qui confugiunt, omnes sint redempti,

O Maria.

„Istam orationem beatae virginis gloriosae scripsit fr. Petrus Netere de Argentina, ordinis beatae Mariae de monte Carmeli, provinciae Alemanniae inferioris, filius conventus Argentinensis, quondam studens Tolosae.“

Zum weiteren Vergleiche möge hier noch die Fassung des Liedes in E folgen:

- | | |
|--|---|
| <p>1. Salve, mater misericordiae,
Mater spei et mater veniae,
Mater Dei et mater gratiae,
Mater, inquam, totius gloriae.</p> <p>2. Salve, salus humani generis,
Salve, virgo dignior ceteris,
Quae virgines omnes transgredieris,
Et altius sedes in superis.</p> <p>3. Salve, sancta sanctarum omnium,
Laus, honor et decus fidelium,
Aula Christi, domus palatium,
Deitatis reclinatorium.</p> <p>4. Te creavit pater ingenitus,
Obumbravit te unigenitus,
Fecundavit te sanctus spiritus,
Tu es sancta tota divinitus.</p> <p>5. Te creavit Deus mirabilem,
Te respexit ancillam humilem,
Te quaesivit sponsam amabilem,
Tibi nunquam fecit consimilem.</p> <p>6. Te beatam laudare cupiunt
Omnes sancti, sed non sufficiunt,
Quia tot laudes tibi conveniunt,
Quod laudantes omnes deficiunt.</p> <p>7. Ex quo Deum digna es parere,
Nemo potest digne exprimere
Laudes tuas nec satis dicere,
Quantum gaudes divino munere.</p> | <p>8. Pia mater, respice filios,
Inter hostes pugnantes impios,
Irruentes repelle gladios,
Angelorum fac esse socios.</p> <p>9. Ecce, mater, hostes tartarei
Prodeuntes ab ore putei
Viam claudunt regni siderei,
Nepermittunt nos sursum provehi.</p> <p>10. Virgo dulcis et summe sapiens,
Pietatis fons indeficiens,
Servis tuis esto compatiens,
Quos impugnat hostis percitiens.</p> <p>11. Tu fuisti funda cum lapide,
Quae Goliath percussit valide,
Et nunc, mater, orando obtine,
Hostem fuga et pacem provide.</p> <p>12. Preces tuae nobis subveniant,
Pia mater, et sic custodiant
Hora mortis, ut hostes fugiant
Et nos caeli cives suscipiant.</p> <p>13. Nos timentes hostis insidias,
Hora mortis magis quam alias,
Supplicamus, ut nunc subvenias
Et nos ope tua custodias.</p> <p>14. Mentis nostras peccatis deditas
Multum terret hostis acerbitas,
Et nunc, mater, quae caelos habitas,
Fac, ut detur nobis securitas.</p> |
|--|---|

15. Sed nobis ponas sic vivere,
Multum tamen facit nos tremere
Mors, quam nullus potest effugere,
Sed tuum nobis est consulere.
16. Nos timentes horam novissimam,
Horam mortis et diem ultimam,
Quia laesam habemus animam,
Sed da nobis
tunc spem firmissimam.
17. Illo die tantus servabitur
Rigor, quod vix iustus salvabitur,
Nemo reus, quinoncondemnabitur,
Et cuique ius suum dabitur.
18. Auctor vitae nos mori noluit
Et pro nobis mortem sustinuit
Et in morte pavit et timuit,
Cuius timor nos multum terruit.
19. Beata es, virgo puerpera,
Nam qui sedet in patris dextera,
Caelum, terram(que)
regens et cetera,
Intra tua se clausit viscera.
20. Imperatrix, cuius imperio
Tota gaudet caelestis contio,
Tanta laus est tibi in filio,
Quod humana non capit ratio.
21. Benedicta es, venerabilis,
Pia, prudens et tota nobilis,
Universis incomparabilis,
Tibi nunquam fuit consimilis.
22. O quam pulchra puella parvula,
Quam suavis, quam sine macula,
Sed quam potens regnas in saecula,
Tua satis probant miracula.
23. Tu es, virgo, ceteris purior,
Virginibus es gradu dignior,
Super omnes aspectu pulchrior
Et in sanctis post Deum sanctior.
24. Pia mater, per tuam gratiam
Revertitur exsul in patriam,
Peccatores merentur veniam
Atque sancti possident gloriam.
25. Nomen tuum daemon reticeat,
Tua virtus vero subveniat,
Tuus odor sanctos inebriat,
Fructus vero beatos faciat.
26. Fons hortorum, aquarum puteus,
Via lucis, splendor aethereus,
Dei sedes et thronus aureus,
Te conventus laudat aethereus.
27. Cella fragrans morum dulcedine,
Omni carens amaritudine,
Veri solis amicta lumine,
Tibi omnes congaudent feminae.
28. O quam felix,
quae mundo prae sides,
Mundum regis et caelos possides
Et cum Deo regina resides,
Hostes nostros malignos occides.
29. Tu es clavis superna reserans
Atque [!] solis ardorem temperans,
Ros fornacis ignem refrigerans,
Medicina salutem operans.
30. Tu fuisti vellus in area,
Arca lucis, turris eburnea,
Tu sis nobis salutis galea,
Granum purum excussa palea.
31. Tu es virens oliva fertilis,
Tu columba simplex et humilis,
Tu columna fidei stabilis,
Porta Sion inexpugnabilis.
32. Tu, beata, fuisti lilium
Inter spinas et flos convallium,
Tu es portus portans suffragium,
Tu es reis semper remedium.
33. Rubus ardens, palma iustitiae,
Murra, nardus
summae fragrantiae,
Hortus virens, flos pudicitiae,
Te circumdant caeli delicitiae.
34. Ut affirmat fidelis populus,
Tu es ergo caecorum oculus,
Pes claudorum, virga et baculus,
Omnium sanctorum es titulus.
35. Fons signatus, distillans oleum
Pietatis et rorem melleum,
Para nobis salutis gaudium
Et emunda cor nostrum felleum.
36. Benedicta (tu) in mulieribus,
Quae de tuis castis visceribus,
Plena semper donis caelestibus,
Peperisti pacem hominibus.
37. Tu civitas superni numinis,
Tu claritas caelestis luminis,
Tu dignitas nostrae compaginis,
Tu pietas summae dulcedinis.
38. Per te mundus accepit puerum,
Per te sordes lavantur scelerum,
In te sperat conventus pauperum,
Dona tua non habent numerum.
39. Mater digna virginis nomine,
Insignita Dei imagine,
Decorata similitudine,
Te collaudant sanctorum animae.
40. Tu es terra dans fructum optimum,
Petra fundens potum largissimum,
Fons redundans
in flumen maximum,
Vas reservans manna dulcissimum.

- | | |
|---|--|
| 41. Sol es, virgo, eclipsin nesciens,
Sol peccati nubes demoliens,
Sol de caelis terram respiciens,
Sol de caelis in terra oriens. | 46. Sanctitatis totius femina,
Mundi princeps et caeli domina,
Servis tuis relaxa crimina
Et eorum mentes illumina. |
| 42. Lux serena, aurora rutilans,
Peccatorum tenebras ventilans,
Ad te mundus exsultat iubilans,
Esto, pia, super nos vigilans. | 47. Ex te, virgo, natus est filius,
Puer Iesus, quo nihil dulcius,
Quem rogamus omnes attentius,
Ut sit nobis per te propitius. |
| 43. Mons sublimis, salutis speculum,
Via vitae, morum spectaculum,
In caelis habitas in saeculum,
Christianum defende populum. | 48. Vas, excelsi opus mirabile,
Stella caeli, signum spectabile,
Per te nobis fiat possibile,
Quod rogamus, et impetrabile. |
| 44. Gemma splendens splendore nimio,
Lumen lucens caelesti radio,
Desolatis sis consolatio
Et temptatis firma protectio. | 49. Advocata nostra propitia,
Tua prece semper assidua,
Quod in nobis sordet, evacua
Et sis nobis ad caelum obvia. |
| 45. Tribus Iuda genus dulcissimum,
Omnipotentis es altissimum,
Nostrum in te perurgens animum,
Nos perurge in finem ultimum. | 50. In hoc mundo vix bonum facimus
Et a malis nunquam quiescimus,
Et sic vitam et tempus perdimus,
De te tamen semper confidimus. |

Digneris praestare quod petimus.

137. Ad beatam Mariam V.

Salve, mater salvatoris,
Audi preces familiae,
Tu, quae spes es peccatoris
Et fons misericordiae.
In hac valle, quam laboris
Et luctus et inediae
Infirmitasque doloris
Circumstant et miseriae,
Esto nobis ros dulcoris
Et virtus tolerantiae
Contra aestus incentoris,
Ne nos eius versutiae
Laedant intra sive foris,
Ut per te nos rex gloriae
Iungat angelorum choris
Caelestiumque curiae.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1,1 Vale, mater.

138. De beata Maria V.

- | | |
|---|---|
| 1 a. Salve, parens singularis,
Sola carens laude paris,
Quia parem nulli paris
Hominem cum numine; | 1 b. Virgo, lactas Dei prolem,
Stella, claudis sola solem
Et moliris carnis molem,
Vim electri lumine. |
|---|---|

- | | |
|---|---|
| <p>2 a. Tu fulgorem
electri temperas,
Inaccessum
lumen dum generas,</p> <p>3 a. Nostrae noctis
nubila respice</p> <p>4 a. Nubes levis, iustum plue
gratiamque rora,</p> | <p>2 b. Lucis ergo
mater et filia,
Lux es mundo
facta primaria.</p> <p>3 b. Et da vitae
lumen angelicae.</p> <p>4 b. Pacem vitam et gloriam
saeculis implora.</p> |
|---|---|
- Orat. ms. Maioris Carthusiae saec. 14/15. Cod. Gratianopolitan. 181.

139. De beata Maria V.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Salve, plena caritate,
Singulari pietate,
Speciali dignitate,
Tuam laudem perficit
Tuus Iesus, rex caelorum,
Qui in cella pigmentorum
Te malorum granatorum
Plene musto reficit.</p> <p>2. Virgo mater, gratulare,
Tuum Iesum osculare
Et in eius delectare
Beatis amplexibus;
Dignum enim est et iustum,
Dei plenum habens gustum,
Ut amoris bibas mustum
Prae cunctis amantibus.</p> | <p>3. Angelica hierarchia
Iugi laudat harmonia
Te beatam, cuius tria
Probant privilegia,
Quod tu, virgo mater Dei,
Summae thronum requiei,
Curam matris habens, ei
Conregnas in gloria.</p> <p>4. Quae es thronus tuae prolis,
A terreni fisco molis
Nos solutos infer polis
Materna potentia,
Ubi bona videamus
Sempiterna, quae speramus,
In pace Dei vivamus
Inter Sion brachia.</p> |
|--|---|

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 4,7 Et in pace. — Vielleicht Sequenz.

140. De beata Maria V.

- Salve, regina, mater divina deicolarum,
Es matutina stella marina, lux animarum.
Palma tis freta, sertis impleta illas coronat,
Quaeque plus laeta aetheris meta cantica sonat.
5. Nostra spes dulcis, lassis hiuleis cimus te foris,
Mortis ut sulcis trahas, quae fulcis nos iunctos loris.
Iterum salve, iterum valvae nunc paradisi
Sese dehiscant, nunc respiscant in te confisi.
Heus, eia, ergo te sine vergo ad ima terrae,
10. Ima maeroris, da vi amoris culpas auferre.
Hac taetra valle, flebili calle respice cunctos,
Oculos verte, ad nos converte corde compunctos.
Fons gratiarum largiffuarum, nympa superna,
Illa nos rora, nostra peiora, claudis inferna.

15. Te, advocata hominum, fata felicitarunt,
Quando beata membra tis grata Christum portarunt.
Exsules mundo labis immundo confove dextra,
Divites fundo caeli iucundo victa palaestra.
Ostende natum ab alto datum, Messiam missum,
20. Quem princeps vatium agnum beatum prodidit ipsum,
Hic vita, via, vera sophia, quo sublimamur,
Per te nos, pia virgo Maria, illo beamur.

Orat. ms. saec. 14/15. Cod. Vatican. Ottobon. 13. — 3. Palma tua. —
12. te ad nos; compuncto. — 16. tua grata. — 17. destra. — 20. prodiit.

141. De beata Maria V.

- Salve, regina, miseri cordis medicina,
Vitaque dulcedo, spes nostra per omnia, credo;
Exsilium gentes ad te clamant patientes,
Evae qui geniti sunt ad suspiria, niti
5. Coguntur fiendo, lacrimarum valle gemendo.
Eia, Deo grata, mediatrix nostra vocata,
Ad nos converte [mater] tua lumina, per te
Cernere da Christum post finem, poscimus, istum,
Qui tuus est fructus benedictus; pellere luctus
10. Clemens posce, pia, dulcissima virgo Maria.
Me rege viventem nec, virgo, sinas morientem,
Offer, mater Dei, me perpetuae requiei,
Tu mea facinora dele per te, virgo Maria.

Orat. ms. Lunaelacense saec. 15. Cod. Vindobonen. 4087. A. — Cod. S. Iosephi Oenipontani A 35. anni 1450. B. — 1 mundi cordis B. — 2 Atque dulcedo A; dulcedo, miserorum spes, tibi me do B. — 3 clamant parturientes A. — 4 Eia qui genti [lies: guati] sunt ad suspiria nati A. — 6 Eia per gratiam A. — 7 fehlt B. — 8 finem protinus istum B. — 11 sqq. fehlen B. — „Nota, quod Bonifacius papa octavus, composuit sequentia metra super Salve regina et concessit omnibus ea devote dicentibus quadraginta dies indulgentiarum.“ A.

142. De beata Maria V.

- Salve, regina, miseri cordis medicina,
Vitaque dulcedo, spes certa per omnia nobis,
Exsilium gentes ad te clamant patientes,
Eia, nos miseri sumus, en, patria spoliati,
5. Ex hac nos ad te lacrimarum flemus abysso.
Eia, per gratiam mediatrix nostra vocata
Ad nos convertas [mater] tua lumina, per te
Cernere da Christum post finem, poscimus, [istum],
Qui tuus est fructus benedictus, (de)pellere luctus

10. Clemens posce, pia, o dulcissima virgo Maria.
Me rege viventem nec, virgo, sinas morientem,
Offer, mater Dei, me perpetuae requiei,
Tu mea facinora avertas prece, virgo Maria.

Cod. S. Floriani XI 196. saec. 16. — Bearbeitung des vorigen.

143. Oratio ad beatam Mariam V.

- | | |
|---|--|
| 1. Salve, regina omnium,
Virgo mater, post filium,
Salve, caelestis ianua
Errantibus tu patula. | 9. Sed tu, o Dei genetrix,
Virgo es ineffabilis,
Te spem meam constituo,
Me tibi servum offero. |
| 2. Salve, tu Dei genetrix,
Invocantum te adiutrix,
Tuo processit utero
Tamquam sponsus de thalamo, | 10. Fide tua me suscipe,
Nato tuo restitue,
Mea peccatrix anima
Ne sit in fine perditā. |
| 3. Qui nos venit redimere,
Mundum dignatus visere.
Et quia moles criminum
Me nimis fecit miserum, | 11. Praesta mihi subsidium,
Dum hoc relinquo saeculum,
Et cum recedit spiritus,
Castis adesto precibus. |
| 4. Ad te solam confugio,
Tuum solamen flagito,
Pande mihi dulcissimum
Pietatis sacrarium. | 12. Nam te orante, domina,
Sanctorum surgunt milia,
Si tu sola silueris,
Vox nulla erit ceteris. |
| 5. Pateant aures tuae piae
Votis meae angustiae,
Appella pro me filium,
Filiū Deique tuum, | 13. Noli silere, domina,
Esto mihi propitia,
Non enim vult me perdere,
Qui me redemit sanguine. |
| 6. Ut mihi sit propitius,
Qui te quaero prae omnibus.
Sed, tu quod non vis, diligo,
Castitatem, heu, fugito. | 14. Me cunctis locis protege,
Labentem semper erige,
Manum sacratam porrige,
In viam pacis dirige. |
| 7. Periurus, mendax, invidus,
Illicitorum cupidus,
Ira fremens et odio
Et semper studens otio, | 15. Vales enim prae omnibus,
Quos praecellis virtutibus,
Tu angelorum domina,
Tu prophetarum gloria, |
| 8. Quid dicam ante iudicem
Caelis, terris terribilem,
Qui statuet iudicium
Et iudicabit saeculum? | 16. Apostolorum, martyrum,
Confessorum ac virginum
Nec non sanctorum omnium,
Solve meam miseriam. |
| 17. Tu mihi da clementiam,
Ut vocem Christi audiam,
Per quam vitam possideam
Et te laudare valeam. | |

Orat. ms. Montis S. Georgii anni 1464. Cod. Guelfenbyteran. 1514. Helmstadien. 1391. A. — Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. B. — 1, 2 post saeculum, A. — 1, 4 Peccatoribus patula B. — 2, 1 tu fehlt A. — 2, 2 Virgo florens et fertilis B. — 3, 1 Quid nos B. — 3, 2 dignatus est A. — 3, 3 quia me moles A. — 3, 3 facit B. — 4, 2 postulo. — 4, 3 piissimum B. — 4, 4 Tuae pietatis A. — 5, 3 sq. Interpella pro me Dominum A. — 5, 4 Unicum tuum filium A. — 6, 1 Ut mihi sit remissius B. — 6, 2 Quia te A; Quod te B. — 6, 3 vis non diligo B. — 9, 4 Virginitatem confugio B. — 7, 1 Taliter sum immundus A. — 8, 3 Cum statuet B. — 9, 1 o fehlt A; Dei fehlt B. — 9, 2 es fehlt A; Omnium imperatrix B. — 9, 4 Me famulum tibi A. — 10, 3 infelix anima B. — 11, 2 Cum hoc A. — 11, 3 und 4 fehlen A. — 12, 4 erit aliis B. — 13, 3 Non vult enim B. — Str. 14 in B:

Me cunctis locis protege,
In viam pacis dirige,
Manum sacratam porrige
Nec non labantem erige.

16, 2 Et confessorum omnium B. — 16, 3 sq. fehlen A. — 17, 1 Et impende clementiam B. — 17, 2 Christi vocem B. — 17, 4 fehlt B; dafür schliesen sich in B noch folgende Zeilen an:

Audi, Christe piissime,
Patris matrisque unice,
Audi matrem piissimam,
Quam sic fecisti inclitam.

Adiuro te, rex omnium,
Cum iudicabis saeculum,
Ne me cum infelicibus
Gehennis tradas ignibus.

Vale, redemptor omnium,
Generale dominium,
Vale, beata trinitas
Et triplicata unitas,
Vale per omne saeculum
Et dele massam scelerum.

144. De beata Maria V.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Salve, salve, dominatrix,
O caelestis imperatrix,
O maestorum consolatrix,
Esto nostri miseratrix.</p> <p>2. Orta mundo maris stella,
Verbi Dei sacra cella,
Hostis pelle saeva bella
Nos tuendo a procella.</p> <p>3. Speciosa margarita,
Peccatorum spes et vita,
Sola tu es redimita
Et prae cunctis exquisita.</p> | <p>4. Gloriosa matutina
Stella tu formosa,
Peccatorum medicina
Mire fructuosa,
Mundi princeps et regina,
Gaude, gloriosa.</p> <p>5. Speciosa, admiranda,
Redolens ut rosa,
Virgo semper veneranda,
Mater generosa,
Tu a nobis invocanda
Gemma luminosa,
Super omnes praedicanda,
Tota speciosa.</p> |
|--|---|

6. Decora lux non casura
Splendens ut aurora,
Carne pulchra, mente pura,
Tu pro nobis ora,
Ut in mortis nos futura
Gaudeamus hora;
Vale, nostra spes secura,
Tu valde decora,
Advocata tutissima.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt.
Ecccl. 375.

145. De beata Maria V.

- | | |
|--|--|
| 1. Salve, salve, o formosa,
Virgo nimis speciosa,
Sancta Dei genetrix,
Tu es virga benedicta,
A propheta iam praedicta,
De radice nobili, | 5. Valde facta es suavis,
Quasi magna plena navis
Omnibus deliciis;
Omni plena es thesauro,
Plena gemmis, dives auro
Ac caelesti gratia. |
| 2. Hoc est de Iesse radice;
Ergo salve, o amice
Iesse Dei inclite,
Qui dedisti virgam talem,
Nunquam vidit mundus qualem
Nec visurus similem. | 6. Tu es nata velut rosa
Inter spinas sine spina
Et ut pulchrum lilium;
Christi dextris es locata,
Ut sis nostra advocata
Nunc et in perpetuum. |
| 3. De qua virga flos ascendit,
Cuius odor non offendit,
Sed valde laetificat,
Dulcis ergo eius odor,
Dulcis sapor, pulcher color,
Nil in mundo pulchrius. | 7. Tu es nostrum refugium
Atque Christi palatium
Et aula pudicitiae;
Tu in fine vitae meae
Dignare me visitare,
Indignum tuum servulum. |
| 4. Ergo salve, o Maria,
Virgo clemens et benigna,
Singularis domina,
Ave, mater benedicta,
Cunctis floribus amicta
Cunctisque virtutibus. | 8. Ut sic terrorem Satanae
Per te queam evadere
Redeundo ad patriam,
In qua semper permanere
Atque tecum congaudere
Sine fine valeam. |

Offic. BMV. imp. in Castro Lauro 1503.

146. Ad beatam Mariam V.

- | | |
|---|---|
| Salve, sancta mater Dei,
Da effectum meae spei,
O maestorum consolatrix,
O lapsorum sublevatrix, | Tuum placando filium.
Ora regem, iube nato,
Ut me mundet a peccato,
A peccato actuali, |
| 5. Confer mihi auxilium | 10. Quem mundavit originali |

- Suo pretioso cruore,
Te attestante cum dolore,
Cum aspiceres poenam nati,
Clavis, lancea perforati,
15. Et illius sanguinem fundi,
Quem genuisti Dominum
mundi.
Memento ergo, virgo mitis,
Cur hoc ambo passi sitis,
Hic in carne, tu in mente,
20. Cum pateretur te praesente.
Causa mei crucem ascendit,
Ut salvator in cruce pependit,
Causa mei tu doluisti,
Cum aspiceres mortem
Christi.
25. Quia subiit causa mei
Poenam crucis filius Dei,
Sic et ego causa fui
Suae mortis et doloris tui.
Noli ergo, mater spei,
30. Haec oblivisci odio mei,
Sed pro reo, domina, ora,
Filius audiet te sine mora,
Quidquid petieris, dabit tibi,
Quam elegit matrem sibi,
35. Cuius de utero voluit nasci,
Cuius ab uberibus voluit pasci.
O regina angelorum,
Laus iustorum,
spes miserorum,
Per quam reis donatur venia,
40. Per quam iustis
redduntur praemia,
Et commendo animam meam,
Ut reconcilies filio tuo eam,
Ut in vitam aeternam perducatur
illam.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni. 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eecl.
375. — 6. Tuum dilectum placando. — 7. iube dilecto nato. — Nach Vers 43,
mit dem das Gedicht zu schliessen scheint, folgt noch:

O Maria, plasma nati,
Quae vidisti natum pati,
Quis te dolor tenuit,
Non est humanitati
Scire datum, ulli vati,
Nullus homo potuit.
Prae dolore perforetur
Mens mea et crucietur,
Quae dolorem meruit,
Ne in fine condemnetur,
Sed per poenas emendetur,
Quia carni paruit.

O dulcis Iesu, reo
Infer iubar cordi meo,
Qui cruore me roseo
Lotum redemisti Deo.

Virtus patri, laus genito,
Sancto decus paraclito,
Sit una tribus gloria
Per saeculorum saecula.

147. De beata Maria V.

- Salve, sancta parens,
Kyria labe carens, cepisti mente fideli
Angelica laude theos anthropos in penetrali
Ventris mortali redimens hominem cruce fraude.
5. O laudabilis ac venerabilis arca sophiae,

Mater amabilis atque placabilis orthographiae.
Stella maris, speculum iubaris, sine vae gravidaris,
Sicque paris genetrixque daris virgoque vocaris.
Ut placeat, faxis, quoque cleri diceris axis,

10. Pervicibus laxis tis est nata diasmaxis.
O Deus aeternae, prece materna miserere
Nostrum, sic cerne, caelica facias nos videre.

Clm. Monacen. (ol. Tegurin.) 19824 saec. 15.

148. De beata Maria V.

- | | |
|---|--|
| 1. Salve, sancta parens,
Omni labe carens,
Salve, virga decens,
Plus quam rosa recens. | 6. Salve, quae securos
Facis transituros,
Salve, per quam sursum
Quisque vertit cursum. |
| 2. Salve, mater regis,
Cum quo cuncta regis,
Salve, mater lucis,
Ad quam lapsos ducis. | 7. Salve, dux et via,
Dei mater pia,
Salve, gubernatrix
Mundi et salvatrix. |
| 3. Salve, eius mater,
Qui est tuus pater,
Salve, quae fuisti,
Virgo, mater Christi. | 8. Salve, per quam sanum
Est genus humanum,
Salve, per quam mundus
Est omnis iucundus. |
| 4. Salve, mater alma
Virginumque palma,
Salve, quae tuorum
Es spes famulorum. | 9. Salve, angelorum
Domina cunctorum,
Salve, super cunctos
Choros Christo iunctos. |
| 5. Salve, digna laude,
Mater sine fraude,
Salve, quae vocaris
Huius stella maris. | 10. Salve, iuxta natum
Tenens principatum,
Salve, quae precatu
Nos mundas reatu. |

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt.
Eccl. 375.

149. De beata Maria V.

- Salve, sancta parens, pia virgo, superbenedicta,
Omni labe carens, quae lumine solis amicta,
Lunae sub plantis calcans iubar irradiantis,
Sertum de stellis prae virginibusque puellis,
5. Regia matrona, geris, alma puerpera Christi.
Hic, elegisti, tua quod veneretur icona,
Per tua condigna miracula, virgo benigna.
Me tibi consigna Satanae de fraude maligna,

- Tu matrona bona, tu glorificata beata,
10. Tu speciosa rosa, tu mater amoris, honoris.
O fons dulcoris, caeli regina superna,
Me prece materna tuearis in omnibus horis.
Mater humillima, spes, miseratio certa reorum,
Mystica cella, benigna puella, suavis, amoena,
15. Lumine plena, decora, serena, maris quoque stella.
Virgo sacrata, per astra levata, Deo sociata,
Sis miserata mei, pia, grata Davidica nata.
Diva propago, dulcis imago, floriger hortus,
In maris undis valde profundis ancora, portus.
20. Fons bonitatis semper inundans, vas pietatis,
Prorsus abundans, cum deitatis pace iucundans.
Auxiliatrix, induperatrix, alleviatrix,
Sis medicamen, da relevamen, pelle gravamen.
Amen, implores, ores, ut gaudia caeli
25. Heli det, dia, diadema mihique, Maria.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl.
375. — 14 cella semper benigna puella.

150. De beata Maria V.

- Salve, scala poli, sanctae iunctissima proli,
Digne digna coli, miserum me spernere noli.
O mundi domina, fer opem, precor, atque propina,
Ut mihi divina per te pareat medicina.
5. O pia virgo, soles vitiorum pellere moles,
Quem recreare voles, recreabit eum tua proles.
Fons es dulcoris et fax totius amoris,
Virginei floris es-gemma, thesaurus pudoris.
Tu salvatoris speculum, tu culmen honoris,
10. In superis oris es summa stella nitoris.
Te sequor, esto via misero mihi, sancta Maria,
Ut sic te media pateat placatio dia.
Omnibus adiutis te praeside teque secutis
Es via virtutis, via vitae, porta salutis.
15. Virgo Deo plena, virgo pia, virgo serena,
Es veniae vena, dulcore salutis amoena.
Dum mala commisi, Dominum peccator amisi,
Redde, quod amisi, pia virgo, decor paradisi.
Peccavi temere, precanti, virgo, medere
20. Ac animae miserae miserere, precor, miserere.
Tu thronus es Christi, dignissima namque fuisti
Esse parens isti, quem virgo manens peperisti.
Ergo, Dei cella, serpentis deprime bella,

Pande tuis, stella, solem, materque puella.

25. Alma parens Christi, quae virgo manens peperisti,
Deprecor, exaudi, mea mens quae postulat, audi.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343. anni 1351. — 17. male. — Die
Hs. hat die zweifellos irrige Aufschrift: „de beata Maria sequentia.“

151. De beata Maria V.

- | | |
|--|--|
| 1. Salve, stella marina,
Maria mater lilio,
Nata lucens vicina
Polo mundi filio. | 5. Haec est, quam conversamine
Unusquisque sectatur
Pro suo mensuramine,
Quo Deo limitatur. |
| 2. Nam Christus punctus stabilis
Est firmamenti sphaerae,
Hoc est incommutabilis
El et aeternus vere. | 6. Quam et nos per hoc manibus
Velificantes mare
Magnum latumque crebrius
Debemus inspectare, |
| 3. Quam ambit septistellium
Splendentium sanctorum,
Universitas omnium
Hoc est uranicorum. | 7. Ne subiugemur fluctibus
Undarum turbulentis,
Devorandi reptilibus
Maris non quiescentis. |
| 4. Ursa maior videlicet,
Cursus denis pluralis,
Quod milibus hic explicet
Infinitem non talis. | 8. Quin potius ut lumine
Praeclaro meritorum
Simulque coruscamine
Claro suffragiorum |
| 9. Ac exemplaris semitis
Nos introducat sui,
Quo portus pace perpetis
Possimus iuge frui. | |

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl.
375; zweimal: fol. 105. A; fol. 110. B. — 1, 1 Vale, stella A. — 4, 2 demis
AB. — 4, 3 El milibus B. — 7, 4 non quotatentis AB.

152. Oratio ad beatam Mariam V.

- Salve, stella maris, quae sola Maria vocaris,
Virgo regalis, amica Dei specialis,
Ianua salutis, nostrae tutela salutis,
Porta pia caeli, prompte succurre fideli.
5. Tu spes lapsorum, tu confugium miserorum,
Ad te suspiro, tua dona, beata, requiro.
Tu me salvifica, Christi specialis amica,
Cum prece devota famulantum suscipe vota.
O veneranda satis, mater summae pietatis,
10. O radix Iesse, fac me, quaeso, precor, esse
Ante tuum natum, sanctissima, funde precatum,
Ut me damnatum revoces delendo reatum.

- Flos reginarum, paradus deliciarum,
 Sanctior es sanctis, genetrix electa tonantis,
15. Rivus aquae vivae, dulcedo virentis olivae,
 Intemerata rosa, super omne, quod est, speciosa.
 Stella solaris, pereo, nisi me tuearis,
 Novi, quod de te veteres scripsere prophetae,
 Et scio completa, quae dixit quisque propheta.
20. In regno Christi laetaris, quae genuisti,
 Hunc petendo fidem servus precatur et idem,
 Suscipe de caelis, per te rogat iste fidelis,
 Ut mihi iam laeso prosit tua gratia, quaeso.
 Mundi salvatrix, esto pro me mediatrix,
25. Filia Ierusalem, fac ante Deum venialem.
 Nam veniam spero tuaque suffragia quaero,
 Culpamque ploro, tu parce, flebilis oro.
 Confidens rogo te, faciat Deus omnia per te,
 Hunc interpella, mater simul atque puella,
30. Virgo tuam prolem, sidus complectere solem
 Et per eum solem peccati dilue molem,
 Molem peccati pergrandis, inveterati,
 Quod quamvis fero, per te deponere quaero.
 Spem sumo divinam, medicum simul et medicinam,
35. Meque reconcilia, sanctissima virgo Maria,
 Ut benedicatur largitio, cui famulatur
 Pontus, terra, polus, regnans per omnia solus.
 O florens rosa, mater Domini speciosa,
 O virgo mitis, o fecundissima vitis,
40. Clarior aurora, pro nobis omnibus ora,
 Ora tu, pia, pro me, rosa, virgo Maria.
- Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Sriptt. Eccl.
 375. — 2. Virgo regularis. — 27. Culpam quam ploro.

153. De beata Maria V.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Salve, templum
 totius decoris,
 Diadema
 regalis honoris,
 Fons virtutum
 splendorque pudoris,
 Pulchra Dei filia.
 Hunc decorem
 Christus concupivit,
 Cum a patre
 luminum exivit
 Carnem nostram
 secumque univit
 In te, plena gratia.</p> | <p>2. O intacta
 virgo puerpera,
 Ad te clamat
 mens mea misera,
 Quae confluit
 per multa scelera
 Semper ab infantia.
 Pia mater,
 de me recogita,
 In peccatis
 mortuum visita
 Precibusque
 foetentem suscita
 De tanta miseria.</p> |
|---|--|

3. Salve, sanctum
vellus Gedeonis
Atque thronus
veri Salomonis,
Cui nullus
fuit par in thronis
Arte vel materia.
Ebur candens
tuae castitatis,
Aurum fulgens
tuae caritatis
Sexque gradus
omnis sanctitatis
Praesignant mysteria.
4. O Maria,
mater salvatoris,
Audi fletus
huius peccatoris
Et super me
oculos dulcoris
Dirige propitia.
Sic respice,
ut peccatis mundum,
Virtutibus
reddas me fecundum,
In laudibus
tuis fac iucundum,
Virgo, David filia.
5. Salve, florens
hortus austro flante,
Porta clausa
post partum et ante,
Mater virgo
sola disponente
Divina potentia.
In te virtus
est patientiae
Rosa simul
et temperantiae
Cum viola
misericordiae
Suavi fragrantia.
6. Frange potens
hostium conatus
Atque rege
mentis meae status
Et averte
pravos cogitatus,
Cuncta simul noxia.
Dulcedinem
funde caritatis,
Medicinam
dona castitatis,
Discipulum
fac humilitatis
Me tua clementia.
7. Salve, virga
de radice Iesse,
De qua fecit
Deus florem esse,
Qui mortuos
revocat ad esse
Propria fragrantia.
Tu frutex es
vitae salvificus,
Cuius flos est
[tam] aromaticus,
Fructus tuus
valde mellificus
Dans aeterna gaudia.
8. O regina
regni Davidici,
Fac odoris
floris dominici,
Quo merentur
angeli refici,
Nos gustare dulcia,
Ut discamus
mundum despiciere
Et post eius
odorem currere
Teque duce
caelos ascendere
Per aeterna saecula.

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 1, 12 sq. Carnemque nostram secum univit. — 4, 11 me fehlt. — 7, 11 fehlt eine Silbe. — 8, 10 sq. Et post decorem eius currere. — Str. 2, 4, 6 als besonderes Lied in Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. anni 1477.

154. De beata Maria V.

1. Salve, thronus Salomonis,
Virgo, vellus Gedeonis,
Virgo, mater gratiae;
Salve, cuius nubem nescit
Neque partu dediescit
Dies pudicitiae.
2. Increatum res creata,
Virgo Deum, patrem nata,
Fontem fudit rivulus,
Sic naturae cancellato
Primo iure designato
Vase prodit figulus.
3. Usu partus destituto
Fructum flore non soluto
Parit Iesse virgula,
Fructu flos non deflorescit,
Et aeternae non marcescit
Veris rosa primula.
4. Salve, servis spes aeternae,
Libertatis lux supernae,
Lucis ostiaria;
Salve, per quam servitutis
Iugo fracto sunt salutis
Restituta gaudia.
5. Per te nubes denubescat,
Vitae nubes exarescat,
Primae sortis lacrima,
Ut ad mensam trinitatis
Post fermentum vetustatis
Comedamus azima.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Vielleicht Sequenz.

155. De beata Maria V.

1. Salve, virgo benedicta,
Quae fugasti maledicta,
Salve, mater altissimi,
Agni sponsa mitissimi.
2. Tu serpentem evicisti,
Cuius caput contrivisti,
Cum nati per infantiam
Hostis frangis potentiam.
3. Tu caelorum imperatrix,
Tu terrarum reparatrix,
Ad quam suspirant homines,
Quam nequam tremunt dae-
mones.
4. Tu fenestra, porta, vellus,
Aula, domus, templum, tellus,
Virginitatis lilium
Et rosa per martyrrium.
5. Hortus clausus, fons hortarum,
Sordes lavans peccatorum,
Inquinatos purificans
Et mortuos vivificans.
6. Dominatrix angelorum,
Spes post Deum saeculorum,
Regis reclinatorium
Et deitatis solium.
7. Stella fulgens orientis,
Umbras fugans occidentis,
Aurora solis praevia
Et dies noctis nescia.
8. Parens nostri tu parentis
Et genetrix nos gignentis,
Pia matris fiducia,
Patri nos reconcilia.
9. Ora, mater, Deum natum,
Nostrum solvat ut reatum
Et post concessam veniam
Det gratiam et gloriam.

Orat. ms. Maioris Carthusiae saec. 14/15. Cod. Gratianopolitan. 181.

156. De beata Maria V.

I.

1. Salve, virgo fecundata,
Omni dono praedotata,
Christi mater illibata,
[Virgo] venerabilis;
Salve, decus castitatis,
Forma mirae sanctitatis,
Fons perfectae pietatis,
O res admirabilis.
2. Salve, stella matutina,
Dulcis vitae medicina,
Vernans rosa sine spina,
Virga Iesse florida;
Salve, mundi consolatrix,
Angelorum imperatrix,
Tu labentum sublevatrix,
Corda [sana] morbida.
3. Salve, parens expers paris,
Iesum Christum mundo paris,
Clemens virgo, singularis
Protectrix humilium;
O Maria, caeli porta,
Te precamur, nos supporta,
Per quam mundo lux est orta,
Vera salus omnium.
4. O prae cunctis gratiosa,
Magis quam sol luminosa,
Mater eius generosa,
Qui creavit omnia;
Tu caelorum vera clavis,
Huius mundi tuta navis,
Vere mitis ac suavis,
Aufer nunc peccamina.

II.

1. Gaude, sancta, lux diei,
Memor esto semper rei,
Benedicta mater Dei,
O superna domina;
Gaude, sancta, fons amoris,
Fons salutis, fons dulcoris,
Alma mater redemptoris,
Terge cuncta crimina.
2. Gaude, sancta, tu decora,
Plus splendescens quam aurora,
Iuva nos in mortis hora,
Caeli luminarium,
- Et a nobis, lumen clarum,
Fuga noctem tenebrarum,
Tolle sordes offensarum
Post praesens exsilium.
3. Gaude, sancta, tota munda,
Virgo manens ac fecunda,
Prorsus nos immundos munda
Caecos et illumina;
Gemma clara mulierum,
Quae lactasti regem regum,
Pie totum fove clerum
Caritate gemina.

III.

1. Vale, verbi Dei cella,
Orbis fulgor, maris stella,
Serva tuos a procella
Mundi huius noxia;
Mundum pingis miro flore,
Florem paris miro more,
Virgo manens cum pudore
Novi floris gratia.
2. Mater regis et regina
* * * * *
De malorum nos sentina
Perduc ad caelestia;
Dele culpas, o Maria,
Deum placa prece pia,
Per te nobis detur via
Ad aeterna gaudia.

157. De beata Maria V.

1. Salve, virgo gloriosa,
Ave, mundi domina,
Vale, mater generosa,
Gaude, plena gratia.
2. Peccatores et beati
Te collaudant adunati,
Tu, quam clamant tribulati.
3. Virgo sancta, lucens via.
Te adorant sol et luna,
Tu, quam clamant omnes una.
4. Piam aurem huc inclina,
Esto mihi medicina,
Tu, quae servas a ruina.
5. Tu reformes in amorem,
Quem offendi creatorem,
Tu, quae audis peccatorem.
6. Deprecare vultum Dei
Pro salute huius rei,
Tu, quae mater sistis ei.
7. Per virtutem sanctae crucis
Te clamantes ad te ducis,
Tu, quae sistis via lucis.
8. Virtuosa, tota clara,
Aufer cordis nunc amara,
Tu, quae Deo es tam cara.
9. Propter tuam bonitatem
Sana mentis pravitatem
Vale, donans sanitatem.
10. Ad te clamo, nimis pia,
Tu caelestis hierarchia,
Vale, virgo, o Maria.
11. Tu regina honorata
Dulcis, clemens et beata,
Tu, quae cunctis donas grata.
12. Paradisi vera clavis,
Felix porta, tuta navis,
Tu, quae nunquam dedignaris.
13. Defensatrix a ruina,
Liberare nos festina,
Tu, quae caeli es regina.
14. Mater casta et decora,
Roga pro me sine mora,
Tu, quae iuvas omni hora.
15. Virtuosa o puella,
Pia, dulcis plus quam mella,
Vale, clara maris stella.
16. Dominatrix angelorum,
Martyrum atque sanctorum,
Tu, quae porta es caelorum.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 3, 1 Da virgo. — 9, 3 folgt noch Virgo praestans sanctitatem. — 12, 2 Da paradisi. — 16, 2 et sanctorum. — Am Schlusse: „Quicumque salutationem istam saltem semel in die ad nominis tui laudem dixeritque devote, si in tribulatione, consoletur, si in temptatione, liberetur, si in maerore, laetetur.“

158. Oratio ad beatam Mariam V.

1. Salve, virgo mater Christi,
Pro me natum supplica,
Quem lactasti, quem fovisti
Sibi praebens ubera,
Morientem quem vidisti
Pro nostra miseria,
Peccatori mihi tristi,
Ut donet remedia.
2. O Maria languidorum
Dulcis consolatio,
Tu adiutrix miserorum,
Mihi sis protectio,
Miseratrix miserorum,
Ad te miser fugio,
Tolle pondus peccatorum,
Quod indignus profero.

- | | |
|--|--|
| <p>3. Imperatrix reginarum
 Dulcis et mitissima,
 Flos et gemma puellarum,
 Mihi sis propitia
 In hac valle lacrimarum
 * * * * *
 Crimen feci et non parum,
 Miserere, domina.</p> | <p>5. Sed non vis, quod moriatur
 Peccator pro crimine,
 Immo vis, ut convertatur
 Et vivat perpetue,
 Ergo per te largiatur
 Munus indulgentiae
 Spatiumque concedatur
 Verae paenitentiae.</p> |
| <p>4. Ego miser vixi male
 Peccans super numerum
 Et pro culpis infernale
 Merui supplicium,
 Nunquam tamen feci tale
 Neque tantum vitium,
 Quin mi posses aeternale
 Largire remedium.</p> | <p>6. Vale, mater, tu impende,
 Quod sit necessarium,
 Hora mortis metuendae
 Fer mihi auxilium,
 A gehennae me defende
 Malignorum daemonum,
 Me duc tecum et ostende
 Mihi tuum filium.</p> |

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eecl. 375. — 4, 7 Quin ni. — Str. 6 beginnt mit neuer Initiale als Stück für sich, gehört aber augenscheinlich zum Vorhergehenden. Am Schlusse folgt dann noch:

O virgo dulcissima,
 Me ducas ad gaudia
 (Et) hoc praestante filio,
 Cuius dulcis visio
 Vita est et gloria
 Per aeterna saecula.
 Amen dico prece pia,
 Exaudi, virgo Maria.

Acrostichon von Str. 2 an: O Jesu; vielleicht ist Str. 1 Zuthat oder an den Schlufs zu setzen.

159. De beata Maria V.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Sempiterni regis mater,
 casta spes fidelium,
 Salus mundi, porta caeli,
 angelorum gaudium,
 Audi vota miserorum
 tibi supplicantium,
 Ut quos vexat incessanter
 cogitandi vitium,
 In conflictu mentis tuum
 sentiant subsidium,
 Ne consensus pravae carnis
 trahat ad supplicium.</p> | <p>2. Gloriosa, quam beatam
 dicunt regum filiae,
 Stella maris, radix Iesse,
 aurora iustitiae,
 Placa nobis solem verum,
 spes misericordiae,
 Ut eductis, quos redemit,
 de lacu miseriae,
 Et quos lingua fecit reos,
 solvat munus gratiae,
 Praestet locum tua prece
 in sanctorum requie.</p> |
| <p>3. Felix mater, cuius Deum
 portaverunt viscera,
 Cedrus alta, exaltata,
 lucens inter sidera,
 Consolare, quos accusant
 tenebrarum opera,</p> | |

Per te sanet peccatorum
Christus nostra vulnera,
Ut percepta, quam precamur,
pietatis dextera
Nos inducat, ubi regnat
cum patre, in aethera.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. ¹⁴/₁₅.

160. De beata Maria V.

- Si fieri posset, quod arenae, pulvis et undae,
Undarum guttae, rosa, gemmae, lilia, flammae,
Aethera, caelicolae, nix, grando, sexus uterque,
Ventorum, pluviae, volucrum, pecorum genus omne,
5. Silvarum rami, frondes, avium quoque pennae,
Ros, gramen, stellae, pisces, angues et aristae
Et lapides, montes, convalles, terra, dracones,
Lingua cuncta forent, minime depromere possent,
Quae sis vel quanta, virgo, regina Maria,
10. Quae tua sit pietas, nec littera nec dabit aetas.

Clm. Monacen. (ol. Caesareen.) 7943. saec. 13. A. — Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. ¹⁴/₁₅. B. — Cod. Mellicen. 716. saec. 15. C. — Cod. Palat. Vindobonen. 4781. saec. 15. D. — Cod. Palat. Vindobonen. 4031. saec. 15. E. — Orat. ms. saec. 15. Cod. Bruxellen. 4588—91. F.

1. unda E. — 4. Ventorum pennae C, rixae D. — 5. Silvarum rami C. — Aufschrift: Petrus Manducator de virgine Maria A; Petrus Comestor CE; Doctor, qui composuit historiam Scholasticam, hos versus fecit de domina nostra, sancta Maria D.

161. De beata Maria V.

1. Si haberem linguarum milia,
Si pollerem omni scientia,
Si florerem omni facundia,
Qua rhetorum vernant eloquia,
Qua redolet legum peritia,
Qua refulgent artium studia,
Qua doctorum vigent ingenia,
Qua redundant cuncta mortalia,
Non canerem digne praeconia,
Quae te decent, o virgo regia.
2. Si quaelibet verbo carentia
Ditarentur loquendi gratia
Teque simul laudarent omnia,
Caelum, aer, tellus et maria,
Pisces, aves et animalia

Et homines et quaevis alia,
Quae sub caelo sunt exsistentia,
Ipsa tamen laudis materia
Tot et tanta laudum insignia
Superares insigni gratia.

3. Ergo cum sim pulvis, limus,
Faex putredo, lutum, fimus,
Umbra, fumus et nil fere,
Nonne debeo tacere?
Reginae vero omnium
Cuncti debent praeconium,
Matrem Dei praedicare
Debet caelum, terra, mare;
Ergo, licet ego vermis
Ad hoc opus sim inermis,
4. Te laudare tamen esurio,
Sed me fraenat mea pollutio,
Mihi calcar tua dilectio,
Mihi fraenum mea confusio,
Mihi calcar tua clementia,
Mihi fraenum mea miseria.
5. Sed me cogis, cum sis illa
Dei mater et ancilla,
Sola prae cunctis tranquilla,
Quae lumen aeternitatis
Merito humilitatis
Cum flore virginitatis
Partu novitatis mirae
Meruisti parturire
Et nato servos unire.
6. Summa summe placens Deo,
Sola placens cordi meo
Prae cunctis excepto Deo,
Tu sola summe post Deum
Meus amor, decus meum,
Mea lux, meum iuvamen,
Mea spes, meum solamen.
7. Ergo parce diligenti,
Te laudare sitienti,
Tu, quae parcis peccatori
Nonne parces laudatori?
Non sum dignus nominare,
Quam praesumo commendare,
Sed quis posset non laudare,
Quam multum gaudet amare.

8. Summe pia, summe rogo,
 Ut de caritatis rogo,
 De pelago bonitatis
 Intuitu pietatis
 Mihi vel unam scintillam
 Porrigas vel unam stillam.
9. Mater Dei, plena Deo,
 Fac, ut Deus ori meo
 Te dignetur praedicare,
 Se dignetur honorare,
 Nam laus matris est nati gloria
 Decus nati matris laetitia.

Orat. ms. Caelestinorum. saec. 15. Cod. Parisin. 18571. — In Cod. Parisin. (Arsen.) 908. saec. 12. als Prolog zu einer großen Legendensammlung. Cfr. Mussafia, Studien zu den Mittelalt. Marienlegenden. Sitzungsber. d. kais. Akad. der Wissensch. Bd. 115. (Wien 1888), p. 69. Ob das Lied ursprünglich zu der Legendensammlung gehört, muß dahingestellt bleiben. Rhythmik und Diktion beider erregen den Verdacht des Gegenteils.

162. De beata Maria V.

- | | |
|---|--|
| <p>1. Splendens fulgur
 a sole nascitur,
 Haec dum virgo
 parturit Dominum,
 Tunc a luce
 verus sol oritur,
 Claudens in se
 primum principium.</p> <p>2. Ecce mirum,
 factor progreditur
 De factura
 dans reis praemium,
 Et figulus
 de vase legitur,
 Sic nobis fit
 dignum exenniam.</p> <p>3. Nam regina
 potens virtutibus,
 Sancta nata,
 malorum omnium
 Et sedatrix,
 ulus daemonibus,
 At iubilus
 verus debilium.</p> | <p>4. In supremis
 fulget sedilibus,
 Iuxta natum
 tenet imperium,
 Circumdata
 rosis et floribus,
 Et possidet
 summum palatium.</p> <p>5. Adest sacro
 [virgo] collegio
 Angelorum
 melos canentium
 Et cum summo
 dulcique gaudio
 Matrem dicunt
 regis [laetantium].</p> <p>6. Corpus eius
 ex privilegio
 Cum anima
 loco gaudentium
 Gratulatur
 laeto tripudio,
 Caelestium
 Deum laudantium.</p> |
|---|--|

7. Seviaci
multa miracula
Perpetrantur
in eius laudibus,
Evitantur
daemonum iacula
Clamantibus
devotis mentibus.

8. Ubi gaudent
per cuncta saecula,
Nos perducatur
fulta virtutibus,
Ut ibidem
diversa fercula
Perfruamur
cum caeli civibus.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14 343. anni 1351. — 2, 1 Iesse mirum. —
6, 8 Deum laetantium.

163. De beata Maria V.

Stella Maria maris, paradisi flos specialis,
Vitae norma viae, genetrix electa sophiae,
Aeterni solis iubar exemplumque pudoris,
Gemmis cunctorum nos exorna meritorum,
Per radios morum nos illustrando tuorum.
Saucia corda liga defunctaque fac prece viva,
Quo tandem cuncti sacro baptismate functi
Per te salventur Christoque polo scientur.

Cod. Virunen. perg. XXXVIII saec. 12.

164. De beata Maria V.

1. Stella maris, decus matrum,
Lux lunaris, honor patrum,
Splendens templum sanctitatis,
Tu exemplum castitatis.
2. Casta parens, virgo feta,
Viro carens, prole laeta,
Mater Christi, mundi lumen,
Quae fudisti verum numen,
Verum solem concepisti,
Deum prolem peperisti.
3. Qui creavit
Te, fetavit
Sua sapientia,
Obumbravit,
Qui creavit
Sua te potentia.
4. Aura suavi sui roris
Et velo blandi teporis
Texit te divinitas,
Castae mentis ne candorem
Denigraret per ardorem
Carnalis cupiditas.
5. Lucem enim paritura
Iuste sic eras futura,
Quae luci competeres,
Quae splendore mentis clara,
Decore virtutum cara
Patris semen caperes.
6. Semen patris concepisti,
Quando verbum suscepisti
Vivens sine tempore,
Mente Deum concepisti,
Incarnatum quem fudisti
Ex intacto corpore.
7. O miranda, quam aeternus
Pater, caeli rex supernus,
Fetavit, virginitas!
O stupendam genetricem,
O vitae reparatricem,
Qua nata divinitas!

8. Mundum lapsum relevavit
Et naturam reformavit
Assumpto in homine,
Quam de summis devolutam
Et peccatis involutam
Suo salvat nomine.
9. Quam iucunde quiescebas,
Casto ventre dum ferebas
Caeli, terrae dominum,
Nil doloris sentiebas,
Virgo mater, cum gignebas
Salvatorem hominum.
10. Blando sinu hunc fovere,
Dulce caput demulcere,
O quales deliciae,
Tali nato lac praebere,
Hunc amplecti, hunc tenere,
O quantae divitiae!
11. Tu prae cunctis splendens rosa,
Mater vitae speciosa,
Inter spinas liliū,
Inter omnes matres una,
Pulchra fulges quasi luna,
Solem gignens filium.
12. Hoc, quod patres, quod prophetae
Prophetarunt totum de te
Tuoque de filio;
Te sperabant, te spectabant,
Nascituram suspirabant
Captivis auxilio.
13. Plene lumen in te luxit,
Totum flumen in te fluxit
Prophetarum omnium,
Tu in sole posuisti,
Tu in lucem protulisti
Danielis somnium.
14. Rubus, quem non laesit ignis,
Te monstravit miris signis
Genetricem virginem,
In qua splendor deitatis
Absque damno castitatis
Se vestivit hominem.
15. Virga tui typum gessit
Succo carens, quae expressit
Florem admirabilem,
Virgo, virga tu fuisti,
Viro carens quae fudisti
Prolem tam amabilem.
16. Ros illapsus, lene vellus,
Dum maneret sicca tellus,
Specialem gratiam
Caelo missam praesignavit,
Quae secrete fecundavit
Castam pudicitiam.
17. Tuus venter clausa porta,
Venter, de qua salus orta,
Nulli viro patuit;
Solus ille pertransivit,
Cuius iter nemo scivit,
Dum sic nasci statuit.
18. In te, virgo, summa legis,
Tu caelestis aula regis,
Dulce secretarium,
Tuum pectus divinorum
Splendens arca thesaurorum,
Virtutum sacrarium.
19. Summus pater collocavit
In te, quas plus adamavit,
Secretas divitias,
Huius domus in secreto
Pulchro manens et quieto,
Quas habes delicias.
20. Tuque lectus Salomonis,
Circumsaepus viris bonis
Sexaginta fortibus;
Hi custodes huius lecti
Ad talem curam delecti
Sunt divinis sortibus.
21. Teque circumstant armati
Et ad bella praeparati,
Resistentes hostibus,
Quoadusque calceatus
Rex procedat regis natus
Obserratis postibus.

- | | |
|---|---|
| <p>22. Ergo, regina caelorum,
Mater regis angelorum,
Opem fer egentibus,
Laxa vincla peccatorum,
Nos absolve vitiorum
Morbis opprimentibus.</p> | <p>24. Dona vitae spiritalis
Nobis conferens carnalis
Vitae levet talia,
Dans caelestis nobis panem
Mentem aegram ac inanem
Liberet inedia.</p> |
| <p>23. Nil neganti, mater, nato
Pro aegrotis supplicato,
Det salutem miseris,
Pro quibus te matrem legit
Et vitam mortalem egit
Hic in istis inferis.</p> | <p>25. Iter huius vitae planet,
Fessos iuuet, aegros sanet,
Deducat per aspera,
Hostes premat obsistentes,
Necet mordaces serpentes,
Cuncta donet prospera.</p> |

Clm. Monacen. (ol. Alrispacen.) 2600. saec. 12/13.

165. De beata Maria V.

- Stella maris, summo rutilans in cardine caeli,
Praemonstrat cunctis omne salutis iter.
Exsulibus patria, portus et litora nautis,
Qua luce Scilla latens nilve Charybdis obest.
5. Hanc stellam nostram si lunae comparo, fallor,
Comparo si soli, nec satis illud erit.
Stellarum stella est, lunae lux, gloria solis,
Fons lucis, mundi splendor, honoris honor.
Tota decens, tota pulcherrima, tota refulget,
10. In qua nil maculae, nil nisi labe carens.
Immortale decus, speculum virtutis, honestas
Morum, iustitiae norma, decoris apex.
Eclipsim nullam patitur, semperque serena
Luce micat facies, nubila nulla tegunt.
15. In qua virtutum fons est et splendor honesti,
Gratia plena Dei perpetuumque decus.
In qua post Christum mundi spes, lumen, asylum,
Vita, salus, virtus, gloria, laus et honor.
Cui caelum properat, undat mare, terra virescit,
20. Cui genus humanum laudibus invigilat.
Illa laborantes scylleo gurgite salvat,
Cuius virtute turbinis aura perit.
Illa fugat vitia, famulos virtutibus ornat,
Haec paradisiacas sola reformat opes.
25. Qua sine quid mundus, quid mundi gloria praestet?
Plangere, tristari, flere, dolere, mori.

Orat. ms. Maioris Carthusiae saec. 14/15. Cod. Gratianopolitan 181.

166. De beata Maria V.

1. Stupent leges, tacent iura,
Quod factorem creatura,
Virgo Deum genuit,
Iesse virga sine rore,
Inconsulto sine more
Florem, fructum protulit.
2. Haec est virgo speciosa,
Est haec virgo generosa,
Sceptrum regis luminis,
Haec est fructus vitae latrix,
Paradisi reparatrix,
Templum patris numinis.
3. Haec est Sara, quae subrisit,
Quando Deus hoc promisit:
En, habebis filium;
Haec est laus prophetica
Et Engaddi vinea,
Caeli luminarium.
4. Haec Rebeccae et Rachelis,
Thamar, Iudith et Iaelis
Decus est et gloria;
Haec est florens vitae portus,
Botrus, favus, clausus hortus
Cellaque vinaria.
5. Haec est Hesther iram regis
Placans, Raab viros legis
Salvans in funiculo;
Haec est aura, sol, aurora,
Luna, stella quam decora,
Rutilans diluculo.
6. Haec, quam vidit Ioseph, spica,
Novum Segor Loth et sica
Et serpentis pertica,
Haec in templo est columna,
Arca Noe et columba,
Scala Iacob mystica.
7. Haec est nubes manna pluens,
Petra large semper fluens,
Manna vermes pariens,
Haec est pera, petra David,
Quae Goliath vi prostravit
Philistaeos opprimens.
8. Ruth est ista Moabitis
Et Susanna, quae, ut scitis,
Lavit in pomerio;
Haec flos campi, flatus roris,
Nostri tollens vim maeroris
Suo privilegio.
9. Haec est nardus, flos, unguen-
tum,
Cinnamomum, mel, pigmen-
tum,
Mater regis gloriae;
Haec est rubus visionis,
Haec maxilla est Samsonis
Rorem fundens gratiae.
10. Gedeonis haec est vellus,
Quod, dum sicca manet tellus,
Maduit in area;
Haec est tympanistria,
Arbor aromatica
Nostra mundans scelera.
11. Haec est thronus Salomonis,
Cui nullus par in thronis
Nec erit in saecula,
Haec dat fructum ligni vitae,
Haec est botrus, uva vite,
Mater et virguncula.
12. Gladius haec flammeus,
Currus est et igneus
Pugioque Phinees;
Haec est illa Thecutes,
Arte Ioab solvens lites,
Regno reddens exsules.
13. Haec magorum murra clara,
Haec Tobiae nupta Sara,
Quam angelus curaverat;
Haec est Anna Samuelis,
Quem ter facta vox de caelis
Heli teste advocat.
14. Haec est Sumanitis regis,
De qua in scripturis legis,
Ministravit Davidi;
Haec est proles, haec est mater,
Hic est natus et hic pater,
Fide crede simplici.

15. Haec in Galaad resina
Atque sanans in piscina,
Quae dicitur probatica,
Hic trans vitrum lumen tendit,
Haec est scala, qua descendit
Ad nos Dei gratia.
16. Haec Abigail, quae regi
David placens, quando gregi
Nabal stultus adfuit;
Haec est Aaron virgula,
Mater et virguncula,
Quae lacte patrem aluit.
17. Haec de Saba est matrona,
Salomoni tot dans dona,
Quae post nunquam visa
sunt;
Haec est, virum quae nescivit,
Virgo patrem parturivit,
O quam mira ista sunt.
18. Haec est Sina mons sublimis,
Haec est summa nectens imis,
Axa, Caleph filia;
Haec caelorum est regina,
De qua canit vox divina:
Ave, plena gratia.
19. Haec est parens, quae doloris
Prolem transfert et maeroris
Benoni et Benjamin;
Haec est virgo, quam vallavit
Christus Deus et locavit
Longe supra Cherubim.
20. Haec complevit hoc promissum
Et delevit iam commissum
Adae nostri seminis,
Per hanc victor est devictus,
Et seductor est seductus,
Auctor ille sceleris.
21. Ista nobis propalavit,
Quod tam longe prophetavit
Amos, Ionas et Ioel;
Ora clausit prophetarum,
Dona dedit gratiarum,
Ecce, hic Emmanuel.
22. Sile, sile, Moyses,
Ieremia, puer es,
Nescis loqui plane;
Ezechiel, quid agis?
Immundo pane vesceris,
Nam prophetas vane.
23. Isaias nobilis,
Pollutus es labiis,
Non potes prophetare;
Daniel, tu sileas,
Somniator factus es,
Nescis vigilare.
24. Osee fornicarius,
Non prophetabis amplius,
Dux praesto est in foribus.
Sicomoros bellicas
Amos nihil prophetas,
Ecce, venit Dominus.
25. Ut quid plura dicerem,
Tempus quidem vincerem,
Si vellem meditare,
Quod de matre sentio,
Claudo sub compendio,
Sed nolo terminare.
26. Ergo, mater, proles cuius
Mundi vincla solvit huius,
Pro me roga filium,
Nomen meum tus et robur,
Tu saphyrus, iaspis, ebur,
Sponsisque triclinium.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. ¹⁴/₁₅. — 6, 2 Sengor; et fehlt. — 15, 1 Galaad est regina; cfr. Ierem. 8, 22. — Nach 26, 4 heisst der Dichter Robertus.

167. De beata Maria V.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Summi regis
mater et filia,
Tuo vincens
candore lilia,</p> | <p>Infinita
plaudens laetitia,
Te caelestis
honorat curia.</p> |
|--|--|

2. Decorata
caelesti solio,
Tu quae regnas
una cum filio,
Ante cuius
consectum venio,
Tuo fidens
in patrocínio.
3. Te scripturae
loquuntur veterum,
Per te venit
formator siderum,
Per te mundus
exceptit puerum,
Iugum legis
qui solvit asperum.
4. Per te, mundi
totius domina,
Peccatorum
solvantur crimina,
Et per tua
nobis munimina
Babylonis
siccantur flumina.
5. Tribus Iudae
propago nobilis,
Universo
mundo laudabilis,
Porta Sion
inexpugnabilis,
Peccatorum
prece flexibilis.
6. In te sperant
etiam miseri,
Qui pro culpis
merentur conteri,
Et erepti
de fauce inferi
Natum tuum
sequuntur liberi.
7. Fons hortorum,
aquarum puteus,
Via lucis,
splendor sidereus,
Te conventus
laudat aethereus,
Et formidat
princeps tartareus.
8. Dei templum,
regalis civitas,
Quam fundavit
ipsa divinitas,
De hac terra
orta est veritas,
Ut nos poenas
vitemus debitas.
9. Portam clausam
vidit Ezechiel,
Per quam solus
transit Emanuel,
Haec te signat,
salvatrix Israel,
Quam intactam
salutat Gabriel.
10. Quam caelestis
salutat vernula,
Prophetarum
canunt oracula,
Ipsam nostra
mirantur saecula,
Et est nobis
vivendi regula.
11. Stella maris,
sic enim diceris,
Ad te clamo,
ne me reliqueris,
Ad hoc enim
electa crederis,
Ut salutem
reportes miseris.
12. Per te summum
Dei consilium
Visitavit
nostrum exsilium,
Benedicta,
quae tale gaudium
Protulisti
votis fidelium.

13. Adam enim
humano generi
Protulisti
novum pro veteri,
Cuius per te
conformes fieri
Deprecantur
senes et pueri.
14. Per te, maris
stella clarissima,
Renovatur
peccatrix anima,
Per te Deus
revisit infima,
Et est drachma
reperta decima.
15. Contrivisti
caput vipereum,
Quod observat
tuum calcaneum,
Contra cuius
morsum funereum
Contemplamur
serpentem aeneum.
16. Tu velamen
legis in litera
Removisti,
virgo puerpera,
Ex te venit
lux salutifera
Per quam patet
legalis litera.
17. In te finit
figuræ caecitas,
Et iam patet
scripturæ veritas,
Per te nostra
scandit humilitas
Paradisi
sedes prohibitas.
18. Ergo, caeli
terraeque domina,
Quam sanctorum
collaudant agmina,

- Benedicta
plus omni femina,
Meam, quaeso,
mentem illumina.
19. Esto mihi
in adiutorium
Tuum illum
orando filium,
Qui per ligni
vitalis pretium
Captivavit
hostem Aegyptium.
20. Tu propago
regalis germinis
Et humanae
decus originis,
In qua lumen
aeterni luminis
Verum corpus
vestivit hominis.
21. Et processit
admirabiliter
Verus Deus
et homo pariter,
In quem, virgo,
credo fideliter,
Ipsam pro me
precare iugiter.
22. Botrus Cypri,
rosa de Iericho,
Nardo compar
et malo punico,
Praesignata
cantu prophetico,
Me defende,
qui tibi supplico.
23. Me adligant
peccata grandia,
Et sum per me
indignus venia,
Tuo tamen,
quae potes omnia,
Interventu
me reconcilia.

24. In te omnes
 abundant gratiae,
 In te mihi
 spes est laetitiae,
 Cum sis mater
 misericordiae,
 Non fraudabor
 a dono veniae.
25. Cum electos
 omnes considero,
 Ex his tibi
 nullum aequipero,
 Sol de cuius
 processit utero,
 Sana vulnus,
 quod in me tolero.
26. Quae fovisti
 corpus dominicum,
 Excludendo
 ritum Iudaicum
 Ego talem
 cum quaero medicum,
 Consolamen
 quaero non modicum.
27. Felix mater,
 regina saeculi,
 Spes salutis
 fidelis populi,
 Ad te mei
 levantur oculi,
 Tui preces
 admitte famuli.
28. Educ vinetum
 de mortis carcere,
 Quem fatigat
 hostis a latere,
 Ipsum, virgo
 beata, contere
 Et me tuo
 conserva munere.
29. Illud mihi
 confer auxilium,
 Quod molimen
 evertat impium,
 Ne ad meum
 hostis excidium
 Sibi ullum
 reportet gaudium.
30. Ipse, cuius
 omnipotentia
 Te providit
 ad caeli gaudia,
 Infinita
 sua clementia
 Per te mihi
 det vitae praemia.

Cod. Vatican. 133. add. saec. 15. A. — Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. ¹⁴/₁₅. B. — Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. C. — 1, 1 Vale mater regis C. — 1, 5 Instructa B. — 1, 5 sq. und 1, 7 sq. umgestellt C. — 1, 7 sq. honorat caelestis B. — 1, 8 adorat C. — 2, 1 Decoras B; Decoratam A. — 2, 3 Tuo regnans B, Tuo regnas C. — 2, 5 Ante tuum C. — 2, 7 Tuo fehlt B. — 3, 3 Te formator BC. — 3, 4 elegit siderum BC. — 3, 6 suscepit B, accepit C. — 3, 8 persolvit asperum A. — 4, 5 Ac per C; per fehlt B. — 5, 3 sq. und 5, 4 sq. umgestellt B. — 6, 2 et miseri A. — 6, 6 fauce tartari C. — 7, 2 via morum C. — 7, 5 sq. und 7, 7 sq. umgestellt C. — 7, 5 sq. Tibi plaudit chorus aethereus C. — 7, 7 Ut formidat A; Te formidat C. — 8, 5 Terra, de qua C. — 8, 7 Qua nos C. — 8, 8 vitemus (de)meritas C. — 10, 7 Et es B. — 11, 5 Ad hoc cunctis B. — 11, 7 Ut te lucem C. — 13, 5 Cuius fehlt B; Cui C. — 14, 3 Renovatrix C. — 14, 6 revexit C. — 15, 6 morsum vipereum A. — 16, 2 in legis B. — 16, 7 patent B. — 16, 8 lex atque litera B. — 17, 4 figurae veritas C. — 17, 5 sq. scandit nostra B; Reseravit tua virginitas C. — 18, 5 Benedicta enim C. — 18, 7 Nostras quaeso B. —

18, 8 mentes B. — 19, 1 Esto nobis BC. — 19, 5 lignum C. — 20, 5 Tuo munere C. — 21, 1 Ex te processit B; Et prodivit C. — 21, 2 mirabilis B. — 21, 3 Deus verus C. — 21, 4 homo veraciter BC. — 21, 5 Cuius ortum BC. — 21, 7 Ipso A. — 23, 1 Mea licet BC. — 23, 3 Et omni sim B; Et indignus C. — 23, 4 sim omni venia C. — 23, 6 qui potes BC. — 25, 5 De cuius sol C. — 26, 5 Ergo talem A. — 26, 8 non spero modicum C. — 27, 8 servuli BC. — Str. 29 und 30 fehlen C. — 29, 5 ob meum B. — 29, 7 Nullum sibi B. — 29, 8 oportet B. — 30, 4 ad nostra gaudia B. — 30, 8 vitae gaudia B. — Cfr. Milch. I, 92.

168. De beata Maria V.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Super cunctas et prae cunctis
Iam puellis Christo iunctis
Te extollo, te honoro,
Seraphino super choro
Quae potenter dominaris,
Universis principaris,
 Maria perfectissima.</p> <p>2. Imperatrix reginarum,
Arcis Sion sceptrum clarum
Summa tenens potestate,
In qua cuncti civitate
Te reginam venerantur,
Inclinantur, incurvantur
 Tua ad imperia.</p> <p>3. Principissa tu praeclara,
Christo sponso valde cara,
Quem iucunde oscularis,
Laetabunde amplexaris,
Cuius gustu satiaris,
Nec a quoquam superaris
 Per cuncta caeli agmina.</p> | <p>4. Singularis es et una,
Cui nulla est secunda,
Intra thalami secreta
Cubans cum dilecto laeta,
Cuius frueris amplexu,
Eius gaudens in aspectu,
 Sponsa divinissima.</p> <p>5. Nostrum decus et lucerna,
Te appello tuus verna,
Cuius thoro virginali
Semper glisco famulari
Cum caterva puellarum,
Tuarum pedissequarum,
 Te praesenta filio.</p> <p>6. Pro me illum depreceris,
Quae repulsam non vereris,
Ante thronum maiestatis,
Ut ignoscat mis peccatis
Meque salvet, qui creavit
Et cruore suo lavit,
 Suo aptans solio.</p> |
|--|--|

Orat. ms. Tegurinum anni 1470. Clm. Monacen. 20021. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. b VII 10. saec. 15. B. — 2, 4 In quacunque civitate B. — 3, 5 Eius gustu B. — 5, 7 Lies: Me praesenta? — 6, 7 Me suo optans B.

169. Oratio ad beatam Mariam V.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Te devote colimus
 Matrem salvatoris
Et corde deposcimus
 Natam redemptoris,
Terge, quod delinquimus,
 Tu crimen erroris,
Nam ad te recurrimus,
 Speculum honoris.</p> | <p>2. Stella maris diceris,
 Rosa sine spina,
Fer solamen miseris,
 Tu caeli regina,
Cunctis nobis egenis
 Gaudia propina,
Eruens ab inferis
 Et turpi ruina.</p> |
|--|---|

3. Auctrix omnis gratiae,
Virgo benedicta
Et flos pudicitiae,
Mater es intacta,
Aurora laetitiae
In scripturis dicta,
Speculum iustitiae,
Sole es amicta.
4. Ave, candens lilium,
Flos miri odoris,
Nobile triclinium,
Mater salvatoris,
Nostrum sis consilium
Tu in cunctis horis,
Placa nobis filium,
Gemmula splendoris.
5. Lapsorum refugium,
Virgo, nuncuparis,
Ergo fer remedium
Cunctis tuis caris
Et post hoc exsiliium
Et procellas maris
Confer nobis praemium,
Ubi tu moraris.
6. Tu flos campi radians,
Moysis fiscella,
Virga Aaron nuces dans,
Claritatis stella,
Nostrum cor corroborans,
Maria, Dei cella,
Coram nato tuo stans
Pro nobis interpella.
7. Aurora lucidior,
Virgo praelecta,
Cunctis stellis clarior,
Deitate tecta,
Sideris excelsior,
Quam Deo dilecta,
Sole, luna pulchrior,
Tu virgo perfecta
8. Tu es strips Davidica,
Vellus Gedeonis
Et navis dominica,
Fons salvationis,
- Mater Dei unica,
Tuis sacris donis
Nobis confer caelica
Contemplationis.
9. Tu via labentium,
Salus peccatorum
Et te confitentium
Corona iustorum,
Tu corda maerentium
Laeta fac tuorum
Tibi servientium,
Mater salvandorum.
10. Tu castrorum acies,
Tu praeordinata,
Tua clara facies
Nobis cunctis grata,
Sis aeterna requies
Nobis, advocata,
Tibi preces milies
Fundimus, beata.
11. Theotocos diceris,
Templum sancti spiritus,
Mitis es et sinceris,
Electa divinitus,
Porta clausa crederis,
Illustrata caelitus,
Flos humani generis,
Nostros audi gemitus.
12. Tu
Candor puritatis
Murtus temperantiae,
Vas nobilitatis,
Corona laetitiae,
Auctrix veritatis,
Mater omnis gratiae,
.
13. Ave, caeli plantula,
Florem protulisti,
Ave, Iesse virgula,
Mater Iesu Christi,
Ave, Dei famula,
Nos a dolo tristi
Et peccati vincula
Solve, mater Christi.

14. Tu es mundi imperatrix,
 Virgo ter beata,
 Miserorum consolatrix,
 Parens illibata,
 Tu caecorum vera ductrix,
 Es candore purpurata,
 Clericorum summa nutrix
 In vestitu deaurata.
15. Laetare, sanctissima
 Genetrix Maria,
 Corpore castissima,
 Virgo, parens pia,
 Nos, virgo purissima,
 Solve a miseria,
 Tua lex clarissima
 Nos locet in patria.
16. Cum sis aeternaliter,
 Ubi tu congaudes,
 Nostras dele iugiter
 Peccatorum fraudes,
 Ut ovantes dulciter
 Personemus laudes,

17. Ego miser famulus,
 Virgo, te imploro,
 [Obsecro] humiliter,
 In dictis honoro,
 Corde, voce firmiter
 Precibus imploro,
 Iungas me feliciter
 In caelesti choro.
18. Ubi lux angelica
 Refulget splendore,
 Tuta quies [caelica]
 Fragrat suo more,
 Ubi laus dominica
 Decantatur ore,
 Mater Dei unica,
 Fac hoc cum decore.
19. Me miserum respice,
 Virgo, mater pia,
 Nec precantem despice,
 O sancta Maria,
- Sed benigna perface,
 Ut caelestis via
 Perducat pacifice
 Ad aeternalia.
20. Te laudando, pulcherrima,
 [Haec] tibi compilavi,
 Virgo sacratissima,
 Dictis sublimavi
 Te, excellentissima,
 Pluries exoravi,
 Nam sorde gravissima
 Me nunc oneravi.
21. Premor gravi sarcina,
 Mole peccatorum,
 Ergo, mater intima,
 Me munda meorum,
 Ne ducar ad infima
 Loca mergendorum,
 Succurre, gratissima
 Spes desperatorum.
22. Pelle a me plurimas
 Cogitationes,
 Daemonis taeterrimas
 Tu illusiones,
 Da mihi mundissimas
 Vitae passiones
 Et post hoc gravissimas
 Contemplationes.
23. Nam ego cotidie
 Virgo, te, turbavi,
 Dum opus superbiae
 Sponte perpetravi
 Et scelus invidiae
 Miser cogitavi,
 Ob hoc, mater gratiae,
 Te multum expavi.
24. O virgo puerpera,
 Mei miserere,
 Fac nova ac vetera
 Peccata deflere,
 Quae mens mea misera
 Consuevit docere,
 Virgo salutifera,
 Digneris delere.

25. Ego quinque sensibus
Contra te peccavi
Et in cunctis mensibus
Scelus cumulavi
Et pro his excessibus
Te matrem oravi,
Ne me tradas hostibus,
Quos semper vitavi.

26. Primo tamen fateor
Me visu peccasse,
Ob hoc tamen videor
Graviter errasse,
Mater virgo Christi,
Miserere mei

27. Mea nunc precamina
Digneris audire,
Angelorum domina,
Sed cum dies irae
Venerit, ne, Maria,
Permittas me perire,
Cum sanctis in gloria
Tunc me introire.
Laus sit, Christe, tamen,
Ne patiar gravamen,
Propter tuum solamen,
Virgo, dicam. Amen.

Cod. Vindobonen. 4314. saec. 15. — 5, 5 Ut post hoc. — 10, 5 Sis nobis aeterna quies. — 10, 6 Misericordiae advocata. — 11, 5 Porta clausa Gabrielis; müfste wenigstens Ezechielis heifsen. — 11, 7 Tu flos. — 11, 8 Matris audi. — 12, 2 Tucandor. — 12, 3 Virtus temperantiae. — 12, 4 Tu vas. — 13, 5 Dei formula. — 13, 8 Sic solve. — 15, 5 virgo clarissima. — 17, 4 Inhonoro dictis. — 25, 4 scelus haesitavi. — 27, 5 ne fehlt. — 27, 6 Nec permittas. — 27, 8 me fehlt.

170. De beata Maria V.

Triumphe triumphatorum,
Corona coronatorum,
Gloria gloriosorum
Post Dominum dominorum,
Fac nos auro puriores,
Fac nos gemmis cariores,
Fac nos stellis clariores,
Fac nos paradisi flores.

Cod. Trecen. (ol. Claravallen) 1612. saec 15.

171. De beata Maria V.

1. Vale dicant virgini
Omnes servi Domini,
Natus est ex virgine
Sine viri semine
Pater, creator omnium.

Qui creavit omnia,
Caelum, terram, maria,
Carnem nostram induit,
Suorum cum voluit
Misereri fidelium.

- | | |
|--|---|
| 2. Collaudemus virginem,
Quae Deum et hominem
Incorrupta genuit,
Qui peccata diluit
Et dat aeterna gaudia, | Qui reatus diluat
Nobis atque tribuat
Post carnis interitum
Ad superna transitum,
Ubi fruamur gloria. |
|--|---|

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

172. De beata Maria V.

- | | |
|---|---|
| 1. Vale, fulgens solis cella,
Caeli splendor, maris stella,
Vale, lux egregia,
Vale, virgo, mater Dei,
Felix causa nostrae spei,
Vale, proles regia. | 3. Nobis ergo caeli per te
Mansiones sunt apertae
Regnaque perennia,
* * * * *
* * * * *
* * * * * |
| 2. Tibi iuges demus laudes,
Quae cum Deo digne gaudes
In perenni gloria,
Ex te quidem fuit ortus,
O salutis spes et portus,
Rex, qui regit omnia. | 4. Vale, nobis porta lucis,
Quos ad vitae spem reducis
Per bonorum studia,
Ut tuarum ope precum
Adipisci vera tecum
Mereamur gaudia. |

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1, 1 solis stella.

173. De beata Maria V.

- | | |
|---|---|
| 1. Vale, gaude, sol splendoris,
Virgo splendens intus, foris
Ad decus ecclesiae,
Te rogamus nostro more,
Ut illustres nos splendore
Tuae dulcis gratiae. | 4. Tu caeleste firmamentum,
Quod stellarum ornamentum
Reddit gloriosius,
Quo purgatur et firmatur
Et ad summa dilatatur
Nostrae mentis radius. |
| 2. Tu flammantis sol ardoris,
Fundens scintillas amoris
In caelis mirifice,
Coronaris sublimata,
Cumulata, debriata
Vini meri calice. | 5. Tu es scala cupressina,
Sursum levans ad divina
Tuis iustos gradibus,
Ad te trahis peccatores
Per te factos ascensores
Et non suis viribus. |
| 3. Tu es luna noctis huius,
Pulchra, crescens, plena, cuius
Lux eclipsis nescia,
Quae clarescens sole vere
Cuncta facis resplendere
Caeli luminaria. | 6. Tu, superna porta lucis,
Nos ad mensam introducis
Regis in caelestibus,
Sancta clavis secretorum,
Cellam pandens unguentorum
Tuis amatoribus. |

7. Miserere, virgo, tuis,
Quibus verum manna pluis
In deserto saeculi,
Ut terram promissionis
Saginati eius bonis
Nostri cernant oculi.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 3, 4 vero sole. — 5, 5 te fehlt. — Der Anfang wahrscheinlich verändert, das Lied dem Tone nach möglicherweise Sequenz.

174. De beata Maria V.

- | | |
|--|--|
| 1 a. Vale, regina caelorum,
Ave, decus angelorum,
Salve, gaudium sanctorum,
Vale, solis regia; | 1 b. Vale, virgo, fons hortorum,
Servans virginale thorum,
Ave, scala peccatorum,
Via caeli regia. |
| 2 a. Vale summa spes post Deum,
Qui sic deliquit in eum,
Quae Theophilum tam reum
Reformasti gloriae; | 2 b. Vale, virgo, novum mirum,
Quae claudentem caeli gyrum
Mulier circumdas virum
Aeternae memoriae. |
| 3 a. Vale, mater Iesu Christi,
Ave, quia tu fuisti
Sola digna, suscepisti
Ave Gabrielis ore; | 3 b. Vale, quia credidisti,
Ave, quia concepisti,
Gaude, quia peperisti,
Salve, mater novo more. |
| 4 a. Vale, mater experts maris,
Ave, virtutum doctrina,
Porta caeli, portus maris,
Porta, via, medicina,
Potum vitae salutaris
Sitientibus propina. | 4 b. Vale, de qua flos virtutis,
Procreatrix tu divina,
Confer opem destitutis
Et in hora vespertina
Sis nobis porta salutis,
Liberans a morte trina. |

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1 a, 4 solis regina. — 4 a, 5 und 6 umgestellt.

175. Oratio ad beatam Mariam V.

- | | |
|---|---|
| 1. Vale, salve, virgo pia,
Me solare, sponsa dia,
Nam sum maestus, ut scelestus
Dignus plaga Domini;
Magnam tamen spem concepi,
O Maria, cum percepi,
Quod sis data advocata
Reo nimis homini. | 2. Maerens nimis est cor meum,
O Maria, quia Deum
Tunc offendi, cum descendi
Carnis in flagitium;
Mundus eram et pudicus,
O Maria, sed iniquus
Me foedavit, cum minavit
Veneris in vitium. |
|---|---|

3. Martem Venus, heu, prostravit,
O Maria, proles David,
Et tunc mundum tunc immundum
Sibi fecit spurium;
Mihi decor virginialis,
O Maria, flos vernalis,
Quondam fuit, sed heu ruit
Luxus per contagium.
4. Modo plenus sum doloris,
O Maria, flos amoris,
Semper flebo et lugebo
Carens gaudimonio;
Me quis potest consolari,
O Maria, cum privari
Me nunc cerno sempiterno
Virginum praeconio?
5. Mea sordet margarita,
O Maria, proh, contrita,
Och, quod egi, quod confregi
Castitatis violam!
Meus squallet nunc saphirus,
O Maria, pellens virus,
Heu, quod feci, quod abieci
Nobilem aureolam.
6. Ad te corde gemebundo,
O Maria, preces fundo,
Quia gravi, quam paravi,
Premor ego sarcina;
Ach, perturbat dolor ingens,
O Maria, me constringens
Spoliatum et nudatum
Virginali tunica.
7. Angelorum in decoro,
O Maria, quondam thoro
Consors fui, sed hinc rui
Propter immunditiam;
Angit nimis cor anhelum,
O Maria, culpae telum
Ob peccata perpetrata
Per incontinentiam.
8. Me vestivit nitens byssus,
O Maria, sed conscissus,
Resolutus et pollutus
Sum per immunditiam;
Morum florem paradisi,
O Maria, nunc amisi,
Och, quid dicam, quod pudicam
Perdidi munditiam.
9. O Maria gratiosa,
Super omnes speciosa,
Impetra nobis veniam;
O Maria gratiosa,
Dulcis, mitis et formosa,
Applica nobis gratiam;
O Maria gloriosa,
In caelis deliciosa,
Praesta nobis gloriam.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt.
Eccl. 375. — 1, 3 Ut nam sum maestus.

176. Oratio ad beatam Mariam V.

1. Vale, virgo, angelorum
Atque mundi domina,
Restauratrix infirmorum,
Sana mea vitia.
2. Me molestum, me lugentem,
Pia mater, respice,
Sana in te confidentem,
Mater indulgentiae.
3. Peccatorem paenitentem
Ne damnes pro crimine,
In te figo meam mentem,
Noli me relinquere.
4. Nunquam sinas me perire
Sine adiutorio,
Me digneris exaudire,
Quando te vocavero.

5. Et me tibi fac servire,
Hic quamdiu vixero,
Vitam meamque finire
In tuo servitio.

6. Me digneris expurgare
A faece peccaminum,
Credo, quod me condemnare
Non vis propter vitium.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt.
Eccl. 375.

177. De beata Maria V.

1. Vale, virgo florens rosa,
Semper recens et formosa,
Super omnes speciosa
Et multum amabilis;
Tu es enim gratiosa,
Tu es mater gloriosa,
Stirpe David generosa,
Semper venerabilis.

4. Regina caeli es vocata,
Ab aeterno ordinata
Et a summo confirmata,
Tu es nostrum gaudium;
Tu es nostra advocata,
Sancta et immaculata,
In utero sanctificata,
Tu es lumen luminum.

2. Salve, domina angelorum,
Venustate fluens morum,
Tu es flos cuuctorum florum,
Tu es candens liliium;
Tu es mater supernorum,
Sola spes inferiorum
Es virtute meritorum,
Tu es mater omnium.

5. Qui te honorant, honorabis,
Qui te exspectant, exspectabis
Et a malo conservabis
Voluntate libera;
Qui te amant, hos amabis
Et a poena liberabis
Et regnum aeternum dabis
Potestate tradita.

3. Deum, quem tu genuisti,
Casta mente concepisti,
Hunc portare tu fuisti
Digna et non alia.
Tu es vere mater Christi,
Per hunc mundum redemisti,
Prophetias implevisti,
Ave, plena gratia.

6. Iesu Christe, ob honorem
Tuae matris et amorem
Da nobis contritionem,
Nobis peccatoribus,
Post cordis compunctionem
Et oris confessionem
Da nobis absolutionem
De peccatis omnibus.

7. Te precamur, o Maria,
Duc nos tua prece pia,
Qui erramus in hac via,
Ad aeterna gaudia;
Amen dicant omnia,
Caeli, terra, maria
Nunc et per infinita
Saeculorum saecula.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt.
Eccl. 375.

178. De beata Maria V.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Vale, virgo, fragrans rosa,
Rosa visu speciosa,
Rosa sine pretio,
Rosa mirae novitatis,
Quae nos tuae pietatis
Perfundis rosario.</p> | <p>4. Tu peccati spina carens,
Semper vernans, nunquam arens,
Agni rubens sanguine,
Nos peccati spina pungit,
Sed te replet et perungit
Suo Deus numine.</p> |
| <p>2. Vere dulcis liquor iste,
De quo bibunt agonistae
Currentes in stadio,
Quo refecti roborantur,
Dum devote venerantur
Te laudis officio.</p> | <p>5. Tu abundans cunctis bonis,
Sola prior es in donis,
Maior in imperio,
Quae nobis das affluenter
Et custodis nos potenter
A mundi contagio.</p> |
| <p>3. Tu rosarum rosa
Vere dicta rosa,
Rosa nupta lilio,
Liliosa rosa Christi,
De spineto processisti
Iudaeae rosario.</p> | <p>6. Flos electe, flos insignis,
Quem praeclaris ornat signis
Summi floris bonitas,
Fac odore tuo pasci,
Quos in Christo vult renasci
Tui cordis caritas.</p> |
7. Quae per tuum florem flores,
Dulces mitte nobis flores
Specialis gratiae,
Ut in caelis floreamus
Per te florem, quam laudamus,
Mater regis gloriae.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 3, 3 nupta filio. — 3, 4 Filiosa rosa. — 4, 6 Deus munere. — 7, 1 bis 3 Quae per te florem floris flores dulces mittis nobis florens speciali gratia. — Möglicherweise Sequenz.

179. De beata Maria V.

- | | |
|--|--|
| <p>1. Vale, virgo gloriosa,
Virga frondens et frondosa,
Vitae salutifera,
Res miranda, caeli rore
Castitatis salvo flore
Virgo fit puerpera.</p> | <p>3. Iesse ex origine
Atque Sion germine
Stella Iacob oritur,
Ex Maria virgine
Et spirante flamine
Verbum Dei nascitur.</p> |
| <p>2. Nutu patris divinitus
Irrigavit paraclitus
Clausi hortus lilium,
Quo perfusa virginitas
Parit casta, fecunditas
Vera, salutis radium.</p> | <p>4. Rubum ignis inflammavit,
Virga florem germinavit,
Vellus rore maduit,
Virgo Deum paritura,
Creatorem creatura,
Rore caeli claruit.</p> |

- | | |
|--|--|
| 5. Veluti solis radius
Subtile et integrius
Specular ingreditur,
Sic matrem Dei filius,
Immo multo subtilius
Intrat et egreditur. | 6. O Maria, templum Dei,
Scala caeli, salus rei,
Mundi spes et gloria,
Pro indignis dignum digna
Natum ora, o benigna,
Virgo, Sion filia. |
|--|--|

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1, 2 Virga und et fehlen. — 3, 4 virgine fehlt. — 3, 5 Et fehlt. — Vielleicht Sequenz.

180. Ad beatam Mariam V.

- | | |
|---|--|
| 1. Vale, virgo, post genitum,
Exaudi preces supplicum,
Ecquid poscenti Dominus
Tibi negabit filius? | 4. Per te, virgo castissima,
Nobis donetur venia
Tuisque sanctis precibus
Concilietur Dominus. |
| 2. Si tantum velis, domina,
Nostra delentur crimina,
Quapropter te praecipue
Oramus, servos respice. | 5. Exaudi, virgo virginum,
Pro nobis ora filium,
Futura mala prohibe
Et miseris compatere. |
| 3. Te orante, sanctissima,
Orant sanctorum agmina,
Si te adversam praevident,
Caelestes cives conticent. | 6. O virgo, mater Domini,
Attende vocem populi,
Ut pro cleri criminibus
Ignoscens parcat Dominus. |
7. Virgo gloriosissima,
Vota comple feminea
Nosque post vitam fragilem
Ad veram perduc requiem.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1, 3 Et quid. — 4, 4 Reconcilietur. — 6, 3 Et pro cleri. — 7, 1 O virgo gloriosa.

181. De beata Maria V.

- | | |
|--|--|
| 1. Vale, virgo regia,
Dei plena gratia. | 5. Vale, mater Domini,
Grata sancto flamini. |
| 2. Vale, Iesse virgula,
Florida per saecula. | 6. Vale, caeli domina,
Nostra delens crimina. |
| 3. Vale, stirps Davidica
Et mater deifica. | 7. Vale, quae post filium
Es salus fidelium. |
| 4. Vale, virgo virginum,
Quae portasti Dominum. | 8. Vale, expers criminis,
Mater veri luminis. |

- | | |
|--|---|
| 9. Vale, in quam caelitus
Venit sanctus spiritus. | 15. Vale, semper floribus
Redolens prae omnibus. |
| 10. Vale, quae caelestia
Regis et terrestria. | 16. Vale, virgo inclita,
Iuxta crucem posita. |
| 11. Vale, per quam Dominus
Nostrum delet facinus. | 17. Vale, virgo habilis,
Mater ineffabilis. |
| 12. Vale, vita saeculi
Et spes vera populi. | 18. Vale, super aethera
Pia gestans viscera. |
| 13. Vale, sole clarior
Atque luna pulchrior. | 19. Vale, super omnia
Omni digna gloria. |
| 14. Vale, plus quam lilium
Candida convallium. | 20. Vale, quae peccantium
Misereris omnium. |

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt.
Eecl. 375.

182. De beata Maria V.

- | | |
|--|--|
| 1. Veni, dulcis gratia,
Intra meam mentem,
Me exhaustum satia,
Demonstra te praesentem. | 6. Et quid est, quod suavius
Me posset oblectare,
Aut quis amor amplius
Me posset inflammare, |
| 2. Mea lustra intima,
Fac me gustare Deum,
Veni, amantissima,
Amplectere cor meum. | 7. Quam tu, o melliflua,
Qua nihil tam iucundum,
Pro cuius amicitia
Totum non curo mundum? |
| 3. Ubi tanto tempore,
Dilecta, me liquisti
Et de meo pectore
Te quare subtraxisti? | 8. Tui desiderium
In corde dum subcrecit,
Procul pellit taedium,
Cor gelidum liquescit. |
| 4. Scio, quod offenderis
Et digne offendaris,
Multa in me reperis,
Pro quibus effugaris. | 9. Ubi tua suavitas
In mente se locarit,
Ibi vera caritas
Sincere Deum parit. |
| 5. Quando praesens aderas,
Te quare contristavi?
Quando procul aberas,
Te quare non vocavi? | 10. O rosa in martyrio
Crucifixi filii,
O lilium (in) virgineo
Thoro puerperii. |

11. Ora pro cuncto populo
Et pro nostris peccatis,
Succurre tuo famulo
Hora necessitatis,

12. Ut terror me non terreat
Terrentis inimici,
Sed tua tunc dispareat
Praesentia felici.

Orat. ms. Carthus. Hildesheimen. saec. 15. Cod. Iosephini Hildesheimen. 3 (6).

183. De beata Maria V.

1. Virga Iesse gignit florem,
Apis mellis dat dulcorem,
Caelum stillat nobis rorem,
Stella Iacob fert splendorem.

3. Paradisus voluptatis
Est Maria praestans gratis
Lignum immortalitatis
Ac fontem iucunditatis.

2. Haec est Esther imperatrix,
Sara risus generatrix,
Tecuites advocatrix,
Iudith hostis triumphatrix.

4. Paradisum hunc queramus,
Cibum vitae glutiamus,
Aguas dulces hauriamus,
Ut feliciter vivamus.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 48.

184. De beata Maria V.

Virgo, Dei genetrix, rosa, lilia, fons paradisus,
Vitis, oliva, rubus, tellus, via, virgula, truncus,
Hortus, castellum, thalamus, domus, alvear, arca,
Vas, mortariolum, fornax conflans scriniumque,

5. Orarium, templum, clibanus, cisterna, fenestra,
Urbs et fiscella, thronus, ancora, ianua, petra.
Ancillans, dominans, regnans est femina fortis,
Phoebo vestita, vellus, turturque columba,
Nubes, aurora, crystallus stellaque viva,

10. Sol, speculum, mons, desertum, patrona, magistra,
Sponsa, volans aquila, bona fructibus arbor onusta.
Cum peperit virgo Christum, qui pascit inanem,
Terra, solum vel humus, virgo est, glis, arida tellus.
Credit et assentit, optat, mox concipit alma

15. Virgo virum plenum, quem colit ipsa Deum.
Stella maris, regina poli, miseratio mundi,
Vim patitur caelum, quo tentit navita velum,
Ex quo iustitiae solem tulit aula Mariae,
Perque maris stellam scimus vitare procellam.

20. Protulit et florem, folium fructusque saporem,
Virgaque sicca nucem, virgo parit innuba lucem.
Tu fons signatus, tu clausula clausaque porta,
Tu Domini templum, tu sedes flaminis almi,
Tu rosa de spina, tu nobilis indole bina

25. Virginis et matris, genetrix et filia patris.
Exstas stella Iacob et matutina Maria,

Stella maris, contra Sisaram perfulgida pugnans,
Esto fide rutilans almae de semine stellae,
Cursu non errans, non cauda tracta draconis,
30. Praevia stella magis, sacer et dux atque sacerdos;
Mater virgo pia, nobis succurre, Maria.

Cod. Londinen. Reg. 7 A VI. saec. 14/15. — 17. nauta. — 26. Exstat.

185. De beata Maria V.

- | | |
|---|---|
| Virgo beatissima,
Piarum piissima,
Dulcis et dulcissima,
Magnarum permaxima, | Innumerabilia;
15. Tuis odibilia
Vitiorum retia
Dirumpe propitia,
Ut caeli palatia
Ingressi te praevia |
| 5. Mater amantissima,
Dominarum domina,
Dele nostra crimina,
Ut tuorum nomina
Sint in vitae pagina. | 20. Calcata superbia
Et eius familia,
Absorpta miseria
Et omni penuria
Cum summa victoria |
| 10. Attende suspiria
Ad te suspirantia,
Comple desideria
Te desiderantia | 25. In caelesti curia
Regnemus in gloria. |

Cod. Trecen. (ol. Claravallen.) 1612. saec. 15.

186. Planctus BMV.

1. Virgo dulcis o Maria,
Tu plorabas voce pia
Coram cruce filium.
2. Rumpebatur cor Mariae
Deplorantis valde pie:
O fili dulcissime,
Cum te cerno morientem,
Ego perdo cor et mentem
Et tota deficio.
3. O columba sine felle,
Vasque dulci plenum melle,
O fili piissime,
Tu me vides desolatam,
Semivivam anxiatam
Et mihi non loqueris?
4. O Gabriel, illud Ave,
Dulce nimis et suave,
Nunc dat mihi gemitum,
Nunc vertuntur in maerorem
Et in luctum et dolorem
Nuntiata gaudia.
5. Mihi namque est ablatum
Et in cruce conclavatum,
Qui me replet gratia.
O crux alta, de te queror,
Mihi nequis esse peior,
O crux crudelissima,
6. Meum natum tu cepisti,
Ipsam in te suspendisti,
O crux ferocissima.
Ergo saltem nunc te placa,
Quam exoro voce rauca,
Reddas mihi filium,
7. Et si non vis te placare
Neque natum mihi dare,
Tu me secum recipe;
Nam consolor, si me capis,
Si me spernis, me relinquis
In dolore nimio.

8. Vosque rogo, o devoti,
Hic plorare, mei noti,
Tam dirum supplicium,
Ut post suos commensales
Vos faciat et sodales
Supernorum civium.

Offic. B. M. V. imp. in Castro Lauro 1503. — 8, 2 nati.

187. De beata Maria V.

- | | |
|---|--|
| 1. Virgo mater, cuius pater
Te gignete paritur,
Sic prolatus et lactatus
Pastor verbum noscitur. | 9. Quae scribuntur et dicuntur,
Longe supergrederis,
Licet claris ostendaris
Inclita plus ceteris. |
| 2. Cista Christi tribuisti
Nubem, in qua latuit,
Quos creavit, poenis lavit,
Quas ultra sustinuit. | 10. Te post Ave fans „haud pave“
Gabriel magnificat,
Cosmus festis demptis maestis
Melos tibi replicat. |
| 3. Nam pro suis atque tuis
Exstitit obtemperans,
At post crucem Sion ducem
Resurrexit properans. | 11. Eva luctum, sed tu fructum
Fudisti laetitiae,
Firma gaude, plane plaude,
Felix imbre gratiae. |
| 4. Id mox pandit, tandem scandit
Misitque paraclitum,
Fide rata, spe probata
Caeli dans introitum. | 12. Te, nec labant, praesignabant
Multi dudum indices,
Et ambarum paginarum
Crebri monstrant apices. |
| 5. Apparebit ac sedebit
Palam iustus arbiter,
Ne damnemur, sed salvemur,
Terge culpas iugiter. | 13. Tu praecellis lunae, stellis,
Gemmis, aromatibus,
Auro puro, forti muro,
Favis, ostro, floribus. |
| 6. Ope praesto semper esto,
Large ros clementiae,
Necte preces, fuga faeces
Cladis et angustiae. | 14. Grande lumen et acumen
Phoebe fert effulsio,
Sed splendoris amplioris
Praemines fastigio. |
| 7. Vas donorum optimorum,
Plenum privilegiis,
Lar virtutum, pontem tutum
Strue mergi consciis. | 15. O regalis, almis alis
Praebe tegmen credulis,
Imperatrix, restauratrix
Manens ampla saeculis. |
| 8. Te, Maria, certa via
Vitae, quae non deficit,
Ut te laudem, tuam laudem
Nemo loqui sufficit. | 16. Mundi sator, dominator,
Quem portasti filium,
Singularare sine pare
Tibi sculpisit solium. |

17. Sunt beati coronati
Diversis honoribus,
Ut trans colles mons praepolles
Digne quidem omnibus.
18. Tu ditaris et dotaris
Infinita gloria,
Tibi cedit et oboedit
Tota poli curia.
19. Tu maiorum ac minorum
Principatum possides
Et cum prole, vero sole,
Sola cunctis praesides.
20. Tui morum sat sanctorum
Aptos inter cumulos
Manifestas, ornas, gestas
Piae matris titulos.
21. Hanc cernentes et stupentes
De tam dulci copia
Sentiamus, quae rogamus,
Ipsius auxilia.
22. Maris astrum, Dei castrum,
Pelle turbas turbinum
Inque bono cursus cono
Faustum pone terminum.
23. Clausa sera mire mera
Miserere miseris,
Defendendo nec linquendo
Serva nos ab inferis.
24. Ora natum, ut reatum
Peccatorum deleat
Et post mortem nos ad sortem
Paradisi provehat.

Cod. Trecen. (ol. Claraevallen.) 999. saec. 12. add. saec. 12/13. — „Devota laudatio sanctae Dei genetricis et perpetuae virginis Mariae cum oratione de eadem.“

188. Oratio ad beatam Mariam V.

- Virgo mater pietatis,
Mihi da benignitatis
Patientiaeque donum
Fac et, ut fraternum bonum
5. Semper quaeram sicut meum;
Mihi tribue per Deum
Condolendo malis flere,
Bonis fraternis gaudere,
Mentem, linguam, vitam rege,
10. Ut in omni Christi grege
Nullus unquam contristetur
Per me nec scandalizetur,
Sed et speculator cordis
Intus, extra nulla sordis
15. Offendatur pravitate,
Sed perfecta caritate
Me diligere fac eum,
Ut meipsum quoque meum
Doce proximum amare
20. Meque sic perseverare.
Me devote pura mente
Doce semper et attente
Psallere sic et orare,
Ut mens voci concordare
25. Apud illum discernatur,
Qui secreta speculatur.
Mensurate fac ut edam,
Nec per potum fac excedam,
Sed me, precor, abstinere
30. Sceleraque doce flere,
Ut lamentis tuum natum
Mihi sentiam placatum
Meque, mater lucis clarae,
Duodenos observare
35. Gradus fac humilitatis,
Ut perfectae caritatis
Lege regar, quae timorem
Foras mittit per amorem,
Ac indutias ministra,
40. Fac et illas non sinistra
Perdam operatione,
Sed ut satisfactione
Rectumque per Dei cultum
Tempus expleam indultum
45. Meque bestiis amaris
Nunquam tradi patiaris,
Sed in hora meae mortis
Sis adiutrix mihi fortis,

- | | |
|---|--|
| 50. Pelle facies horrendas
Teque mihi tunc ostendas.
In illa finali pugna
Pro me, precor, ita pugna,
Ut confusi atque victi
Ruant hostes maledicti | 60. Ipsos illud infernale
Malumque perpetuale
Circumstringat loco mei,
Sed aeternae requiei
Me coniunge, virgo, choris,
Vas virtutum, fons honoris. |
| 55. Ignea tunc ad tormenta,
Quae pro ipsis sunt inventa,
Ut quod mihi paraverunt,
Multis annis quaesierunt, | 65. Pater praestet hoc et natus,
Sacer utriusque flatus,
Trinus unus, qui cunctorum
Dominatur saeculorum. |

Orat. ms. Scotorum Vindobonen. 54 h 8. anni 1410.

189. De beata Maria V.

Virgo salutata Gabrielis voce beata,
Caelitus adfata, maris inclita stella vocata,
Per tibi collata bona nuntia sis mihi grata.
Ecclesiae florem produxisti sine spina,
Mentibus ardorem fidei dans es medicina.
Virgineum fructum de te laudo generatum,
Excitias luctum, quo sentio me gravidatum.
Partus labe carens, divino munere clarens,
Purgata mente me salvat te faciente.
Tu salvatoris, gladio transfixa doloris,
Carne sub humana precantis vulnera sana.
Christo surgente nova gaudia te capiente,
Sis Dominum, pura virgo, pro me petitura.

Cod. Palat. Vindobonen. 4444. saec. 15.

190. De beata Maria V.

- | | |
|--|--|
| 1. Virtutibus laudabilis,
Moribus commendabilis,
Specie peramabilis, | 3. Potentia terribilis,
Actibus profamabilis,
Miraculis mirabilis, |
| 2. Puritate legibilis,
Carne desiderabilis,
Genere venerabilis, | 4. Maria, caro nobilis,
Esse carni sic utilis
Velis, quod per te labilis |
| 5. Spiritus infinibilis
Tandem reddatur humilis
Ac Deo acceptabilis. | |

Cod. Palat. Vindobonen. (ol. Campen.) 883. saec. 14/15.

- 3 a. Activum verbum passivum
Iam efficitur,
Ab alio nascitur,
Quod est primitivum,
Est compositum
Simplex, finitum
Fit infinitum,
Sic contra grammaticum
Non respectivum
Confertur, non defectivum
Fit eclipticum.
- 3 b. Nunc logicus admirari
Cogitur, quia
Simul sunt contraria
Scita sociari,
Partus pudori
Et ita mori
Hic locus: Haec mari
Mulier concubuit,
Si partu laeta
Fiat, nam eadem feta
Et virgo fuit.
- 4 a. Hic mussat Quintilianus,
Marcus Tullius,
Symmachus, Sidonius,
Iustinianus,
Cum virginitas
Et maternitas
Sint simul, et varius
Index adulterii
Partus fiat his,
Qui signo carent signati,
Fiunt dubii.
- 4 b. In his haesitans stupescit
Arithmeticus,
Nam numerus cubicus
In se decrescit,
Suae radici
Ut possit dici
Conformis, hic nescit,
Quomodo, quae numero
Caret, natura
Numeratur et sic plura
Possit fieri.
- 5 a. Musicae proportioni
Cum sint subdita
Omnia composita,
Musicus componi
Deum homini,
Nubem lumini
Miratur, sic toni
Melos cum diapente
Fit par sonorum,
Tota lege musicorum
Hoc prohibente.
- 5 b. Tetragonus continetur
Infra trigonum,
Trigonus infra conum,
Iam maior habetur
Punctum lineae,
Equo tinea,
Centrumque censetur
Excedere circulum,
Minor pigmaeo
Fit gigas, alvus fit Deo
Receptaculum.
- 6 a. Astronomus visu, mente
In hoc haesitat,
Quod sol latitat
Sub stella, manente
Solis splendore,
Stella plus more
Pristino lucente.
Hoc ab illo vilis
Non fit lucendo,
Sed se mutuo augendo
Lucent purius.
- 6 b. Haec est virgo singularis,
Parens unica,
Arctos nautica,
Portus salutaris,
Vena veniae,
Portus gloriae,
Quam dos puellaris
Decoris non deserit,
Immo puella
Manens et virgo tenella
Deum peperit.

7 a. Virgo virginum.
Expers criminum,
Decus hominum,
Caeli domina,
Salus gentium,
Spes fidelium,
Lumen cordium
Nos illumina.

7 b. Nosque filio
Tuo tam pio,
Tam propitio
Reconcilia,
Et ad gaudia
Nos perennia
Duc propitia,
Duc prece pia,

8. Virgo Maria.

Cod. Matriten. Bb. 150. saec. 14. (Daraus in Boletin de la real academia de la historia VI, 392 ff.) Diese (nicht liturgische) Sequenz ist die vorletzte in einer Reihe von 23 Meditationen, von denen nur die beiden letzten poetische Form haben. — Verfasser dieser Meditationes secundum numerum et ordinem Alphabeti ist Gil von Zamora (Iohannes Aegidius). Vgl. Anal. XVI, 62. — 26, 2 Cogitur quod; Silbenzahl und Reim fordern quia. — 4 a, 4 Et Iustinianus. — 6 a, 3 Quoniam sol. — Aufschrift: „Incipit XXII meditatio et oratio virginis incipiens ab hac litera Y.“



Inhalts-Übersicht.

	Seite		Seite
Ab aeterno praeparata	25	Ave stella matutina	47
Ad aeterni numinis	9	Ave stella o Maria	53
Angelorum supernorum	15	Ave summi regis nupta	54
Ante thorum tam decorum	15	Ave templum Iesu Christi	45
Ave Dei porta spei	17	Ave vera humilitas	44
Assis nobis virgo pia	14	Ave vera salus nostra	46
Audi clemens et benigna	19	Ave vera salus nostra	46
Audi virgo virginum	20	Ave virgo columbina	43
Aula vernat virginialis	20	Ave virga ferens fructum	54
Ave caeli domina	21	Ave virgo gloriosa Mater	55
Ave caelorum ianua	21	Ave virgo gloriosa Paradisi	56
Ave Christi mater ave	23	Ave virgo mater Christi	59
Ave Dei genetrix	23	Ave virgo singularis Gemma	59
Ave dic ad virginem	24	Ave virgo singularis Mundi	61
Ave dulcis ave pia	25	Ave virgo stella maris	62
Ave laetitia Ioachim	26	Ave virgo verbi mater	63
Ave legis plenitudo	44	Ave virgo virginum	64
Ave lucis tu aurora	44	Ave virgo virtutis speculum	65
Ave lumen gratiae	27	Beata Dei genetrix	65
Ave magni patris agni	29	Benedicta regina virginum	66
Ave maris stella clara	33	Bonitatis totius femina	66
Ave maris stella Verbi Dei	34	Clemens et dulcissima	75
Ave mater et virgo virginum	36	Cor ad instar philomenae	76
Ave mater gloriosa	36	Cum iubemur et tenemur	76
Ave mater sine labe	37	Cur peccator desperem veniam	78
Ave verbi mater pia	37	De spineto nata rosa	79
Ave mundi spes Maria	38	Digna laudum carmina	80
Ave plena gratia	39	Dulci voto laeta fide	80
Ave porta poli noli te	41	Felix mater ave qua mundus	86
Ave puteus aquarum	45	Flos florum fons hortorum	87
Ave regina caelorum	43	Gaude casta mater Dei	87
Ave rosa tu caelestis	47	Gaude felix Maria	87
Ave sancta sanctis sanctior	49	Gaude gemma virginum	88
Ave sancta sanctissima	44	Gaude maris stella Iesse	89
Ave signis figurata	50	Gaude mater salvatoris	90
Ave sponsa Dei patris	52	Gaude mater vitae portus	91
Ave stella maris	35	Gaude mitis gaude pia	91

	Seite		Seite
Gaude plaude clara rosa	92	O Maria virgo pia Mater	157
Gaude rosa speciosa	100	O Maria virgo pia Plena	155
Gaude salus nobis data	58	O Maria virgo pia Stella	157
Gaude salve misso rore	100	O mater virgo virginum	158
Gaude salve templum Dei	101	O mundi prodigium	160
Gaude sanctae trinitatis	101	O pia virginitas	161
Gaude sancta lux diei	203	O praeclara maris stella	46
Gaude trina hierarchia	102	O quam pulchra polo	161
Gaude virgo et respice	102	O regina reginarum	162
Gaude virgo mater Christi	103	O regina virginum	163
Gaude virgo o Maria	104	O rosa virginiei decoris	164
Gaude virgo pia gaude	106	O templum Christi	164
Gaude virgo ut stirps Davidica	107	O triclinium nobile	164
Genus sacrum et proles regia	108	O veneranda Dei mater	165
Gloriosa mater Dei	109	O virgo splendor gloriae	166
Imperatrix angelorum	111	Pater ymon a quo mundus	167
Imperatrix gloriosa	112	Pulchra Maria serena Maria	168
Impudenter circuivi	112	Pulchra totaque amica	168
In camino crepitans	113	Quid vigoris quid amoris	170
In hac die gratiae	117	Rex Christe clementissime	173
In te per te de te ex te	117	Salve cella castitatis	174
Iubilose resonando	118	Salve Dei mater pia	57
Laude humani generis	120	Salve festum cordis mei	175
Laudes beatæ virginis	120	Salve gaude mater regis	175
Laudes sacrae virginis	122	Salve era mater festi	175
Magistra religionis	123	Salve mater illibata	176
Maria sole clarior	125	Salve mater misericordiae	176
Maria te recolere	126	Salve mater salvatoris	190
Maria te suppliciter	132	Salve parens singularis	190
Maria virgo pia	132	Salve plena caritate	191
Maria virgo virginum	133	Salve regina mater	191
Mater Dei Maria nomine	136	Salve regina miseri cordis	192
Mater Dei gloriosa	138	Salve regina miseri cordis	192
Mater Domini Maria	139	Salve regina omnium	193
Mater gaude Fons mei gaudii	140	Salve salve dominatrix	194
Mente gaudens ersultabo	141	Salve salve o formosa	195
Mole pressus huius miseriae	142	Salve sancta mater Dei	195
Non iam discordant mater	145	Salve sancta parens Kyria	196
O domina dominarum	46	Salve sancta parens Omni	197
O enixa praeter morem	145	Salve sancta parens pia	197
O insignis sponsa Dei	146	Salve scala poli sanctae	198
O Maria expers paris	146	Salve stella marina	199
O Maria mater Christi	146	Salve stella maris quae sola	199
O Maria Mater Dei	147	Salve templum totius decoris	200
O Maria miserorum	148	Salve thronus Salomonis	202
O Maria quae es pia	149	Salve virgo benedicta	202
O Maria spes reorum	149	Salve virgo fecundata	203
O Maria sponsa Christi	151	Salve virgo gloriosa	204
O Maria stella maris Medicina	153	Salve virgo mater Christi	204
O Maria stella maris Porta	154	Sempiterni regis mater	205
O Maria virgo pia Maris	156	Si fieri posset quod arenae	206

	Seite		Seite
Si haberem linguarum milia . . .	206	Vale virgo angelorum	223
Splendens fulgur a sede nascitur	208	Vale virgo florens rosa	224
Stella Maria maris paradisi . . .	209	Vale virgo fragras rosa	225
Stella maris ave	35	Vale virgo gloriosa	225
Stella maris decus matrum . . .	209	Vale virgo post genitum	226
Stelle maris summo rutilans . . .	211	Vale virgo regia	226
Stupent leges stupent iura . . .	212	Veni dulcis gratia	227
Summi regis mater et filia . . .	213	Virga Iesse gignit florem	228
Super cunctas et prae cunctis . .	217	Virgo Dei genetrix rosa	228
Te devote colimus	217	Virgo beatissima	229
Triumphe triumphatorum	220	Virgo dulcis o Maria	229
Vale dicant virgini	220	Virgo mater cuius pater	230
Vale fulgens solis cella	221	Virgo mater pietatis	231
Vale gaude sol splendoris	221	Virgo salutata Gabrielis	232
Vale regina caelorum	222	Virtutibus laudabilis	232
Vale salve virgo pia	222	Virtutum cella virgo	233
Vale verbi Dei cella	203	Ymago, imitago	233



Cl. Blume und G. M. Dreves,

ANALECTA HYMNICA MEDII Aevi.

- I. Theil: **Cantiones Bohemicae**. Leiche, Lieder und Rufe des 13., 14. und 15. Jahrhunderts nach Handschriften aus Prag, Jistelnitz, Wittingau, Hohenfurt und Tegernsee. 1886. 13 Bogen. Gr. 8. Preis M. 6,—.
- II. Theil: **Hymnarius Moissiacensis**. Das Hymnar der Abtei Moissac im 10. Jahrhundert. Nach einer Handschrift der Rossiana. Im Anhang: a) Carmina scholarium campensium. b) Cantiones Vissegradenses. 1888. II Bogen. Gr. 8. Preis M. 5,—.
- III. Theil: **Conradus Gemnicensis**. Konrad's von Hainburg und seiner Nachahmer, Albert's von Prag und Ulrich's von Wessobrunn Reimgebete und Leselieder. 1888. 12½ Bogen. Gr. 8. Preis M. 6,—.
- IV. Theil: **Hymni Inediti**. Liturgische Hymnen des Mittelalters aus handschriftlichen Breviarien, Antiphonalien und Processionalien. 1889. 17 Bogen. Gr. 8. Preis M. 8,—.
- V. Theil: **Historiae Rhythmicae**. Liturgische Reimofficien des Mittelalters. Erste Folge. Aus Handschriften und Wiegendrucken. 1889. 17¾ Bogen. Gr. 8. Preis M. 8,—.
- VI. Theil: **Udalricus Wessofontanus**. Ulrich Stöcklin's von Rottach, Abtes zu Wessobrunn, 1438—1443 Reimgebete und Leselieder mit Ausschluss der Psalterien. 1889. 12¾ Bogen. Gr. 8. Preis M. 6,—.
- VII. Theil: **Prosarium Lemovicense**. Die Prosen der Abtei St. Martial zu Limoges aus Troparien des 10., 11. und 12. Jahrhunderts. 1890. 17¼ Bogen. Gr. 8. Preis M. 8,—.
- VIII./IX. Theil: **Sequentiae Ineditae**. Liturgische Prosen des Mittelalters aus Handschriften und Wiegendrucken. Erste und zweite Folge. 1890. 14½ und 18¾ Bogen. Gr. 8. Preis M. 7,50 und M. 8,—.
- X. Theil: **Sequentiae Ineditae**. Liturgische Prosen des Mittelalters. Dritte Folge. 1891. 21 Bogen. Gr. 8. Preis M. 10,—.
- XI./XII. Theil: **Hymni Inediti**. Liturgische Hymnen des Mittelalters. Zweite und dritte Folge. 1891 und 1892. à 17 Bogen. Gr. 8. Preis à M. 8,—.
- XIII. Theil: **Historiae Rhythmicae**. Liturgische Reimofficien des Mittelalters. Zweite Folge. 1892. 17 Bogen. Gr. 8. Preis M. 8,—.
- XIV. Theil: **Hymnarius Severinanus**. Das Hymnar der Abtei St. Severin in Neapel. — **Orricus Scacabarotius**. Origo Scaccabarozzi's Liber Officiorum. 1893. 17 Bogen. Gr. 8. Preis M. 8,—.
- XV. Theil: **Pia Dictamina**. Reimgebete und Leselieder des Mittelalters. Erste Folge. 1893. 17 Bogen. Gr. 8. Preis M. 8,—.
- XVI. Theil: **Hymnodia Hiberica**. Spanische Hymnen des Mittelalters aus liturgischen Handschriften und Druckwerken Römischen Ordos. 18 Bogen. Gr. 8. Preis M. 9,—.
- XVII. Theil: **Hymnodia Hiberica**. Liturgische Reimofficien aus spanischen Brevieren. 1894. 15 Bogen. Gr. 8. Preis M. 7,50.
- XVIII. Theil: **Historiae Rhythmicae**. Liturgische Reimofficien des Mittelalters. Dritte Folge. 1894. 17 Bogen. Gr. 8. Preis M. 8,—.
- XIX. Theil: **Hymni Inediti**. Liturgische Hymnen des Mittelalters aus Handschriften und Wiegendrucken. Vierte Folge. 1894. 17½ Bogen. Gr. 8. M. 9,—.
- XX. Theil: **Cantiones et Muteti**. Lieder und Motetten des Mittelalters. Erste Folge. 1895. 16½ Bogen. Gr. 8. Preis M. 8,—.
- XXI. Theil: **Cantiones et Muteti**. Lieder und Motetten des Mittelalters. Zweite Folge. 1895. 14½ Bogen. Gr. 8. Preis M. 7,—.
- XXII. Theil: **Hymni Inediti**. Liturgische Hymnen des Mittelalters aus Handschriften und Wiegendrucken. Fünfte Folge. 1895. 18¾ Bogen. Gr. 8. M. 9,—.
- XXIII. Theil: **Hymni Inediti**. Liturgische Hymnen des Mittelalters aus Handschriften und Wiegendrucken. Sechste Folge. 1896. 19½ Bogen. Gr. 8. M. 9,50.
- XXIV. Theil: **Historiae Rhythmicae**. Liturgische Reimofficien des Mittelalters. Vierte Folge. 1896. 18 Bogen. Gr. 8. Preis M. 9,—.
- XXV. Theil: **Historiae Rhythmicae**. Liturgische Reimofficien des Mittelalters. Fünfte Folge. 1897. 19 Bogen. Gr. 8. Preis M. 9,—.
- XXVI. Theil: **Historiae Rhythmicae**. Liturgische Reimofficien des Mittelalters. Sechste Folge. 1897. 18¼ Bogen. Gr. 8. Preis M. 9,—.
- XXVII. Theil: **Hymnodia Gotica**. Die Mozarabischen Hymnen des alt-spanischen Ritus aus handschriftlichen und gedruckten Quellen. 1897. 18½ Bogen. Gr. 8. Preis M. 9,—.
- XXVIII. Theil: **Historiae Rhythmicae**. Liturgische Reimofficien des Mittelalters. Siebente Folge. 1898. 21 Bogen. Preis M. 10,—.
- XXIX. Theil: **Pia Dictamina**. Reimgebete und Leselieder des Mittelalters. Zweite Folge. 1898. 15 Bogen. Gr. 8. Preis M. 7,50.
- XXX. Theil: **Pia Dictamina**. Reimgebete und Leselieder des Mittelalters. Dritte Folge. 1898. 19½ Bogen. Gr. 8. Preis M. 9,50.
- XXXI. Theil: **Pia Dictamina**. Reimgebete und Leselieder des Mittelalters. Vierte Folge. 1898. 13¾ Bogen. Gr. 8. Preis M. 7,50.

Als Ergänzung erschien:

Hymnologische Beiträge. Herausgegeben von Blume und Dreves.

I. **Gottschalk**, Mönch von Limburg an der Hardt und Propst von Aachen, ein Prosator des XI. Jahrhunderts. 14 Bogen. Gr. 8. M. 7,—.








32 # 10812

32

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK CRESCENT
TORONTO - 5, CANADA

10812.



GretagMacbeth™ ColorChecker Color Rendition Chart

